Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Fecht Lorenz Friedrich Gutzmer

Disquisitio Historico-Theologica De Sacrificiis Pro Commemoratione Sanctorum Celebratis

Rostochii: Richelius, 1697

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0001
DFG

R.U. - theol 1697 Fecht, Johann /6

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0002
DFG

D. I. O. A.

DISQVISITIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

SACRIFICIIS

PRO

COMMEMORATIONE SANCTORUM CELEBRATIS.

Qvam

In splendissima & famigerabili Academia

Rostochiensi,

Comprobatione venerandæ Facultatis Theologicæ,

PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,

SS. TH. D. EJUSDEMQVE P. P. ORDIN. CONSISTORII DUCAL. ASSESSORE, DISTRICT. ROSTOCHIENS. SUPERINTENDENTE, ET FACULT. THEOLOG. NUNC TEMPORIS DECANO,

Ad diem 13. Mart. Anno M. DC. XCVII.

IN AUDITORIO MAJORI,

Publicæ Diatribæ

submittit

LAURENT. FRIDER. Butzmer/

Ratzeburgo-Mecklenburg.

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliss. Senat. Typogr.

1697

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0005

DFG

D. I. O. A.

DISQVISITIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

SACRIFICIIS

PRO

COMMEMORATIONE SANCTORUM CELEBRATIS.

Quam

Illustrissimo & Iamigeratissimi Academia

Rostochiensi,

Comprobatione venerandi Facultatis Theologicæ,

PRÆSIDE

IOANNE HUSNIO,

Universitäts-Bibliothek Rostock

SS. TH. D. HUSSENOVE P. P. CONSISTO-

RII DUCAL. ASSESSORE, DISTRICTI [illegible] SUPER-

INTENDENTE, ET FACULT. THEOLOG. NUNC

TEMPORIS DECANO.

[illegible]

IN AUDITORIO MAJORI,

Publicæ Disceptationi

submittit

LAURENT. FRIDER. [illegible]

Ratzeburgo-Megalenburg.

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Acad. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0006
DFG

Cap. VI.

Sacrificium Missaticum nec in commemorationem Sanctorum antiqvitus celebratum esse, neq; cum Collectis Missalibus Sanctorum commemoratio inseri cœpisset, eandem Missam in Sanctorum vel memoriam vel honorem institutam fuisse.

I.

Succedit novum stabiliendis Missis, in honorem Sanctorum celebratis, argumentum, qvod ab eâ loqvendi ratione deductum est, qvâ sacrificia apud antiqvos dicantur pro commemoratione vel in commemorationem Sanctorum offerri. Cujus rei deinceps plurima recensebimus exempla.

II. R. *Bellarmino*, loco freqventer à nobis adducto, idem planè significant, in memoriam Sanctorum, itemqve in commemorationem Sanctorum & in honorem Sanctorum offerri. *Joannes Dezius* Jesuita, probaturus, sacrificium Missæ & DEO soli offerri & simul tamen offerri in honorem sanctorum, illa S. Augustini loca adducit, qvibus profitetur, sacrificari soli DEO, non martyribus, ad id tamen sacrificium suo loco & ordine nominari sanctos & in memoria vel apud memorias eorum offerri. Qvod ille interpretatur offerri in sanctorum memoriam; qvâ de re superiori capite diximus. Pro iisdem itaqve habet, in memoriam sanctorum offerre & offerre commemorando nominandoqve sanctos atqve offerre in honorem sanctorum. Idem libello, explicationem qvarundam difficultatum circa preces in Missâ

occurrentium, *Jacobus Benignus Bossuetus* facit. (1.) Verba sunt: *qvant à ce qu' on trouve si etrange, qve nous offrions JEsus Christ à l' honneur des Saints, c'est à dire, pour honorer leur memoires & remercieur Dieu de la gloire, qu' il leur a donnée, c'est qu' on ne fait pas de reflexion sur la nature de ce sacrifice. Qvod si absurdum videatur, offerre nos JEsum Christum in honorem sanctorum, id est, ad honorandam eorum memoriam & gratias agendum DEO de gloriâ ipsorum, qvâ donati sunt, sciendum est, qvod totum hoc non respiciat ipsam sacrificii naturam.* Videturqve hæc conseqventia adeò naturaliter intellectui illabi, ut, qvamprimum auditur, assensum mereatur. Causam jam olim in antiqvitate reddidit *Chrysostomus*, eâ Homiliâ, qvâ moris hujus utilitatem fusè recenset. *Licet martyres sint*, inqvit, *etiam pro martyribus offertur. Magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa celebratur & horrendum sacrificium & ineffabilia sacramenta.* (2.) Nempe vel nominari cum qvaliscunqve laudis celebratione, ex inito feliciter contra mundum Satanamqve certamine & obtentâ adversus hostilem exercitum victoriâ, coram supremo orbis monarchâ, honorem habet non singularem tantum, sed ingentem. Nec refragabimur nosmet collectionem à celebratione sacrificii in memoriam aut ad commemorationem martyrum, ad ejusdem celebrationem in eorundem honorem, concedere, si antiqvis illis temporibus in memoriam sanctorum oblatum fuisse sacrificium, idoneis testimoniis fuerit comprobatum.

III. De qvo ut rectè arbitrari qveamus, sciendum est, discernendas esse apud veteres eas loqvendi rationes, qvæ memoriam martyrum vel sanctorum cultam esse generatim tantum enunciant, ab iis, qvæ factam eorundem commemorationem intra ipsa sacri mysterii solennia profitentur. Qvarum illas his antiqviores esse, ex iis, qvæ mox adferemus, patebit. Et qvidem cultæ cum qvadam solennitate

(1.) §. XLI. 225. (2.) Hom. XXI. in Act. Tom. III. Bas. p. 594.

nitate sanctorum martyrum memoriæ haut antiqvius exemplum, etiam R. *Hospiniani* judicio, cui pleriqve alii antiqvariæ rei doctores consentiunt, qvam Smyrnensium est, ab *Eusebio* enarratum, (3.) qvi seculo II. honorem Polycarpi martyris reliqviis exhibitum hac memorabili verborum pompâ describunt. *Qvidam nostros sollicitè observaverant, cum è rogo corpus aufferre tentarent; stulti, qvi ignorarent, nos nec Christum unqvam posse relinqvere, qvi pro salute omnium, qvotqvot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium qvemqvam colere. Illum enim utpote Filium DEI adoramus, martyres verò, tanqvam discipulos & imitatores Domini, merito amore proseqvimur, ob eximiam eorum benevolentiam, qvam erga regem & magistrum suum declararunt. Qvorum nos qvoqve consortes ac condiscipulos fieri omnibus modis optamus. Porrò cum Centurio pertinaciam Judæorum animadverteret, corpus in medio collocatum, ut morìs est ipsis, concremavit. Atq; ita nos demum ossa illius, gemmis pretiosissimis cariora & qvovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Qvo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet DEus, natalem ejus cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qvi glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros, hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* Simplex hæc est martyrum memoria, certo tamen in Ecclesiâ tempore, certisq; cum ceremoniis, utpote commemoratione constantiæ ipsorum in fide aliarumqve virtutum, ad aliorum imitationem peracta. Qvod in sacrificii sollennibus eorum nomina recitata fuerint, nullo verbo refertur.

IV. Dubitari qvidem poterat, annon hæc sanctorum post mortem commemoratio Apostolorum statim ævo cœperit, cum Paulus præcipiat, μνημονεύεσθαι, *meminisse doctorum, qvi verbum nobis DEI prolocuti sunt, eorumq; ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς intueri.* (4.) Mortem ἔκβασιν vocat τῆς ἀναστροφῆς, *exitum conversationis*, eamqve intueri jubet, seu ad proprii exem-

(3.) Lib. IV. H. E. c. XV. (4.) Hebr. XIII. 7.

exempli expressionem considerare. Quam Apostoli admonitionem alii Ecclesiarum ministri datâ qvalibet occasione, citra dubium repetierunt, atqve adeò μνήμην, *memoriam* egerunt sanctorum, qvi in fide hinc decesserant. Nec absimiliter alibi (5.) Apostolus *communicare* τῆις μνείαις, *memoriis sanctorum* præcipere videtur, putatqve *H. Valesius*, (6.) ad hunc ipsum locum & Smyrnenses respexisse, qvippe qvi vehementer desideraverint, ipsius corporis Polycarpi participes fieri, qvod Græcè Paulinâ illa voce expresserint, κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ, *sacro illius cadaveri communicare*, ut hoc intuentibus perpetua esset occasio, virtutes ejus victoriamqve tam præclaram celebrandi. Sed verò memoria sanctorum, qvam injungit Apostolus, non tam exteriore eorundem commemoratione, qvam recordatione intrinsecâ eâqve practicâ absolvitur. Debebant enim Hebræi ita altè imprimere intellectui & memoriæ suæ ductorum suorum fidem, ad mortem usqve continuatam, ut pertinaci eâ consideratione ad similem fidem virtutesqve perpetuo inflammarentur. Et qvamqvam Ecclesiarum ministri Pauli exemplo, (vel qvisqvis is est, qvi epistolam ad Hebræos exaravit) memoriam suorum antecessorum agere, eâqve re adhortationem Paulinam auditorum suorum animis profundius infigere poterant, poterat tamen id fieri in ordinariis ad populum Homiliis, sine ullâ solennitate, sine ullâ pompâ. Hæc verò qvando accesserit, non aliis, nisi historiarum documentis doceri posse, qvilibet ultrò intelligit. Illum porrò Pauli locum, qvo κοινωνεῖσθαι τῆις χρείαις τῶν ἁγίων, *communicare necessitatibus sanctorum*, seu sublevare communi operâ eorum indigentiam jubemur, mirum est à *Valesio*, viro tam erudito, unius tantum alteriusq; Latini scriptoris auctoritate nixo, contra lectionem Vulgatam, qvæ sacrosancta ipsi esse merito debebat, contra vetustissimorum codicum fidem, contra constantem omnium Græcorum patrum lectionem, tantum

(5.) Rom. XII. 13. (6.) ad Euseb. p. 73.

tantum ut causæ suæ patrocinaretur, potuisse eâ λέξει allegari, qvam pauciſſimi codices præferunt, qvasi Apostolus dixisset: *τοῖς μνήμαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες, memoriis sanctorum communicantes.* Qvâ de re ex ipsis Pontt. *Guil. Estius* innumeriqve alii fusè egerunt. Qvamqvam si vel maximè dixisset: *communicare memoriis sanctorum*, ex hac tamen communione nondum peculiaris aliqva memorandi solennitas, de qvâ tamen unicè qvæstio est, extorqveri posset, nisi vellemus peccare in Philosophorum canonem: *à genere ad speciem affirmativè vitiosum est colligere.*

V. Tertii seculi principio *Tertullianus* oblationum pro mortuis aliqvoties, cumqve iisdem & commemorationis meminit, utpote libro de coronâ militis: *oblationes pro defunctis annuâ die facimus*; (7.) libroqve de Monogamiâ: *offert annuis diebus dormitionis ejus*; (8.) hujusqve disciplinæ morem è traditione dimanasse profitetur. Intelligit *Tertullianus* munera demortuorum loco in Ecclesiam allata, (de qvo more supra diximus) (9.) qvibus commemoratio defunctorum & preces pro iisdem fuerant conjunctæ, ceu disertè affirmat ipse *Tertullianus*, Exhortatione ad castitatem, ubi de bigamo: *Et jam repete apud DEum, pro cujus spiritu postules, pro qvâ oblationes annuas reddas.* (Reddere autem de munere dicitur, non commodè de precibus, omnium incommodissimè de sacrificio) *Stabis ergo ad DEum cum tot uxoribus, qvot illas oratione commemoras & offeres pro duabus & commemorabis illas duas per sacerdotem.* (10.) Veruntamen morem hunc ab Apostolis ortum esse, neqve *Tertullianus* asserit, nec si assereret, ab Apostolis ortum esse *Tertulliani* assertio comprobaret, ceu suo loco ostensum. (11.) Nec enim insolens est veteribus, traditionem ab Apostolis dimanantem opinionibus suis prætendere, qvæ non incertæ tantum, sed planè falsæ sunt. *Irenæus*, vix uno ab excessu

(7.) C. III. p. 44. (8.) C. X. p. 578. (9.) C. IV. §. XIIX. (10.) C. VII. p. 564. (11.) C. IV. §. XIV.

Apostolorum seculo distans, contra Gnosticos, ministerio Christi unum tantum annum tribuentes, disputans, non asseverat tantum, Servatorem nostrum omnes ætatis gradus, ut ætates omnes sanctificaret, attigisse, atqve adeò ultra qvadragesimum aut etiam qvinqvagesimum ætatis suæ annum docuisse, sed ad comprobandam sententiam tam insolentem ad ipsum Evangelium & traditionem indubitatò Apostolicam provocat. Verba patris hæc sunt: (12.) *hoc omnes seniores testantur, qvi in Asiâ apud Johannem, discipulum Domini, convenerunt, id ipsum tradidisse Johannem.* Qvis tot sanctissimorum probatissimorumqve hominum testimoniis non crederet? Qvinimò ut rem planè immotam reddat, subjicit: *qvidam autem eorum non solum Johannem, sed & alios Apostolos viderunt & hæc eadem ab ipsis audierunt & testantur de hujusmodi relatione.* Et tamen *Franc. Fevardentius*, homo Pontificius, cui qvi sectæ addicti sunt, in hoc ipso de oblationibus pro defunctis argumento, cum illas nonnulli patres ad Apostolicam traditionem proveherent, hanc provocationem tanqvam indubium traditioni Apostolicæ indicium atqve fundamentum substernunt, candidè atqve disertè de Irenæi provocatione: *imbecillis nititur rationibus.* Itane imbecillum nunc est, qvod alibi tanto robore pollet? Additqve: *sanctissimis etiam & doctissimis hoc non rarò contigisse ipsâ luce manifestius est.* Cur igitur idem contingere *Tertulliano*, ut provocaret ad Apostolorum traditionem, qva tamen in re falleretur, non potuerit?

VI. In *Cypriano*, paulò *Tertulliano* juniore, freqventior jam hujus commemorationis mentio, cujus tamen loca commodius infra, qvando de memoriâ martyrum intra ipsa sacrificiorum solennia celebrata agetur, adducturi sumus, qvia ad eandem stabiliendam à Romanis Scriptoribus ubiqve allegantur. Referrem huc & *Origenem*, qvi memoriæ sanctorum in Collectis meminit libro IX. in Ep. ad Rom.

(12.) Lib. II. adv. Hær. c. XXXIX. p. 124.

Rom. nisi hic ipse commentarius à *Ruffino* interprete ita esset subinde interpolatus, ut qvid in eo sit *Origenis*, citra dubium pronunciari neqveat. Qvâ de re *Erasmus* in Censurâ & *P. D. Huetius* in Origenianis consulendi sunt. Post *Cyprianum* verò seculo IV. & seqventibus harum memoriarum & commemorationum infinita seges est, ut frustraneum fuerit, vel verbum ex iisdem adferre.

VII. Qvemadmodum & hoc breviore verborum ambitu complectemur, qvod extra sacrificium in Ecclesiæ cœtu primis illis seculis memorati fuerint non mortui tantum, sed & vivi, saltem ii, qvi munera obtulerant, aut benè de cætero de Ecclesiâ meriti fuerant, ut nempe DEO totius cœtus precibus commendarentur. Nullum eâ de re dubium est, si complura inspiciantur *Cypriani* testimonia. Id verò an factum fuerit jam Apostolorum tempore atqve adeò tunc generalis in omnibus Ecclesiis matricula extiterit, in qvâ notarentur omnes Ecclesiæ cives, pari sacrorum jure gaudentes, eaqve certis anni diebus populo prælecta, unde & Diptycha enata fuerint, qvod ingenti studio & molimine contendit *H. Dodwellus*, (13.), id ego vehementer incertum esse existimo. Certè nullum ejus rei ullibi vel in *Justino* vel aliis, qvi de cætero plures Ecclesiæ consvetudines singulari curâ descripserunt, vestigium comparet. *Dodwelli* verò argumenta, ex analogiâ cum civitate & militiâ, ex denominatione Hierosolymæ cœlestis, ex libro vitæ & id genus comparationibus desumpta, nimis longè petita sunt & si qvidqvam probabile reddunt, fieri id potuisse, non factum fuisse evincunt. Sola nominum appellatio in Actis c. I. 15. & Apocalypsi c. III. 4. præcipuè verò eorum apud antiqvissimum patrem martyremqve & Apostolis proximum, *Ignatium*, descriptio verosimilem hujus ritus vetustatem etiam præter *Dodwellum* aliis reddere visa est. Ille enim Epistolâ ad Heronem, Ecclesiæ Antiochenorum Diaconum, hunc ita jubet

(13.) Diss. Cypr. V.

jubet ſtudioſè adornare publicas congregationes, ut *ex nomine etiam ſingulos reqvirat*: ἐξ ὀνόματος, *inqvit*, πάντας ἐπζήτει. Qvod & Polycarpo in Epiſtolâ ad ipſum iisdem ferè verbis præcipit. Ne qvis cauſetur, epiſtolam ad Heronem ſcriptam vel dubiam eſſe vel planè adulterinam. *Cavet*, ait Dodwellus, *ne qvispiam prætermittatur, conſulendâ nominum ſerie in matriculâ Eccleſiæ.* In eademqve ad Heronem epiſtolâ ſalutare omnes jubet à parvo usqve ad magnum κατ' ὄνομα, *ſecundum nomen*, vel nominatim. In Epiſtolâ qvoqve ad Smyrnæos nomina hæreticorum & Apoſtatarum negat ſe inſcripturum & memoraturum eſſe, (occurrit hic ipſum memoriæ ſeu commemorationis vocabulum, μνημονεύειν) donec egerint pœnitentiam. Qvaſi eos ad morem poſteriorum temporum ex Diptychis, unde publicè recitari ſolebant, eradicari & deleri velit. Enimverò ex Actorum & Apocalypſeos loco non niſi violentiâ qvadam catalogum, vel matriculam exſculpſeris, cum nomina pro hominibus apud Græcos auctores accipi, ſine ullo ad indicem aliqvem reſpectu, nemo negare poſſit, arguatqve id vel ſolus ille locus Apocalypſeos, c. XI. 13. Qvod ſi Ignatii indubitatò ſunt, qvæcunqve in Epiſtolâ ad Polycarpum leguntur, (Epiſtola enim ad Heronem juxta plerosqve ſpuria eſt) vix comprehendi poteſt, qvomodo in tam amplâ Smyrnæorum Eccleſiâ, qvoties convenerant, auditorum omnium catalogus, ut abſentes notari poſſent, prælegi potuerit? Cum vel millium nominum recitatio, obſervatis ſimul, utrum adſint, perſonis, plusqvam unius horæ ſpatium reqvirat; ſi vero numerus ad XXM. excreſcat, (ceu in Eccleſiâ ad S. Michäelem Hamburgi fieri fama non fallax prædicat) vix dies recenſendis omnibus & obſervandis ſuffecerit. Qvare utut lectio iſtiusmodi catalogorum in minoribus vel Eccleſiis vel collegiis abſentibus notandis inſervire poſſit, in majoribus tamen & numeroſis cœtibus id adeò fieri neqvit, ut abſurdus futurus fuiſſet, qvisqvis tale qvid tentaſſet. Ec-

cleſia

cleſia verò & Antiochena & Smyrnenſis tempore, qvo ſcripſit *Ignatius*, (non potuit autem ante ſeculi ſecundi initium ſcribere, cum Polycarpus ante illud Epiſcopus eſſe non potuerit, qvippe anno Chriſti CLXIX. in extremâ ſenectute martyrio conſummatus) immenſâ hominum, ad fidem Chriſti converſorum, multitudine abundabat. Non itaqve credo, qvemqvam perſvaderi ſibi paſſurum eſſe, Ignatium injungere vel Polycarpo vel Heroni voluiſſe, ut qvoties in cœtum coiret Eccleſia, numeraretur, expreſſis eorum nominibus, univerſa auditorum concio. Nec enim id præcepiſſe putandus eſt, qvod ex eorum eſt numero, qvæ fieri neqveunt. Multò minus id intendiſſe præſumi poteſt, ut cujuslibet appellato nomine omnes ſalutaret Hero. Qvo pacto vix annuum gerendo mori ſatis fuiſſet ſpatium. Arbitror, id voluiſſe *Ignatium*, ut cum Eccleſiarum miniſtro ex longâ & diuturnâ conſvetudine auditores ſui haud aliter, ac paſtori oves, cognitæ eſſe debeant, ſi qvem animadverterit, ex publico conventu abeſſe, ipſo nomine eundem obſervaret, reqvireretqve, ut poſthac magis ſedulus eſſet ſacrarum concionum freqventator. Planè in ſuperiore Germaniâ mos obtinet, ut certi ex toto grege corycæi conſtituti abſentes, nullo uſi catalogo, nomine annotent, renuncientqve paſtori, ut hic poſtea accerſere ad ſe negligentes & admonere officii ſui poſſit. Ita cum ſalutari omnes κατ' ὄνομα cupit, non ad catalogum Heronem ablegat, ſed neminem præteriri, ſi ita occaſio tulerit, deſiderat, qvin particulatim *Ignatium*, qvantum in ſe eſt, benè ei precari ſignificet. Ille etiam locus, in qvo viſum ſibi non eſſe ait, ut fideles inſcribat, immò ne qvidem memoret, non parum obſcuritatis habet, mentiq; *Dodwelli* conveniſſet magis, ſi dixiſſet Ignatius: nolle ſe, ut Polycarpus eosdem inſcribat, velle potius ut inſcriptos eradat, nec unqvam amplius poſthac ex catalogo memoret. Sed verò totam hanc rem aliis rectius expendendam relinqvimus.

IIX. Nec verbis tantum commemorati mortui, sed & aliis monumentis exterioribus, utpote tumulis, iisdemqve superpositis domunculis, qvantum qvidem gentilium id permittebat persecutio. De qvo Smyrnenses: *ossa collegimus, & ut par erat, condidimus.* Immò & conviviis, si *Origenis* essent, qvi ei à nonnullis tribuuntur, in Hiobum commentarii, in qvorum fine: *Memorias sanctorum facimus & parentum nostrorum, vel amicorum, in fide morientium, devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, qvam etjam nobis piam consummationem in fide postulantes. Celebramus, religiosos cum sacerdotibus convocantes, fideles unâ cum clero, invitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam reqviei defunctis animabus, qvarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni DEI.* Sed jam inde ab Erasmo omnium eruditorum consentiente calculo *Origeni* abjudicatum est hoc opus & hospitem in Origenis lectione esse necesse est, qvin idem & ex tractandi modo & ex doctrinis, parum Origenianis, & indiciis compluribus aliis non illicò animadvertat. Qvamqvam in ceremoniis istis funebribus nihil recenseatur, qvod à simplicitate illius seculi sit alienum.

IX. Ostendimus hactenus, usitatam utiqve fuisse inde à Polycarpi funere, primis illis seculis demortuorum, præcipuè sanctorum martyrumqve, commemorationem, extra sacrificii oblationem; jam porrò negari neqvit, eandem memoriam & ipsi S. Synaxeos celebrationi temporis successu immistam fuisse. Qvod qvando factum fuerit, deinceps dispiciemus. Nunc enim, anteqvam id fiat, monendum aliqvid fuerit de variis loqvendi modis, qvibus hoc institututum passim expressêrunt antiqvi.

X. Et qvidem vulgaris atqve à plerisqve recepta opinio est, hanc sanctorum in sacrificio commemorationem à *Cypriano nominum oblationem* vocari. Verba patris, abusum

sum sui temporis, qvo lapsi à qvibusdam sine discrimine recipiantur, deplorantis, sunt ista: *nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restitutâ Ecclesiæ pace, ad communicationem admittuntur & offertur nomen eorum.* (14.) Gabr. Albaspinæus exponit: *nomen offerre est, cum alicujus mortui aut viventis in orationibus, qvibus sacrosanctum sacrificium fieret, nomen enunciaretur & commendaretur.* (15.) Jo. Bona, Cardinalis, interpretatur: *verè alicujus nomen offerre idem erat, ac ipsum in sancto sacrificio recitare & enunciare.* (16.) Qvod manifestè putat colligi ex *Cypriano*; nec minus ex *Innocentio*, ex cujus Epistolâ, qvâ respondet Decentii Episcopi Eugubini consultationibus, isthæc excerpit: *De nominibus recitandis, anteqvam precem sacerdos faciat, atqve eorum oblationes, qvorum nomina recitanda sunt, suâ oratione commendet, qvam superfluum sit, & ipse pro tuâ prudentiâ recognoscis, ut cujus hostiam nec dum DEO offeras, ejus ante nomen insinues, qvamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, qvorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur.* Ego verò ex neutrius verbis ullo indicio perspicere possum, qvod id, qvod est Cypriano offerre nomen, sit nomen recitare. *Henr. Dodwellus* discernere videtur inter offerre nomina & recitare. (17.) Puto, offerre nomina eidem idem esse, qvod, matriculam, seu fidelium catalogum, in Evchariſtiæ administratione DEO generatim repræsentare. Recitare verò nomina, eos, pro qvibus intercedimus, particulatim nominare. Cujus rei tamen nulla adducit fundamenta. Ad has dubitationes & Albaspinæum & *Bonam* & *Dodwellum* & innumeros alios seduxit falsa *Cypriani* lectio, qvam capite IV. ex Latino Latinio, indice *Jo. Fello*, restituimus & rationibus aliis firmavimus, cum legendum non sit: *offertur nomen eorum*, sed: *offertur nomine eorum.* Non credo,

(14.) Ep. juxta Joh. Fell. XVI. ad Pamel. num. X. (15.) I. Obs. Eccl. VII. p. 36. (16.) Lib. II. Rer. Lit. c. IIX. (17.) Diss. Cypr. V. §. XXI. p. 23.

do, qvemqvam amplius dubitaturum esse, adeo hoc & aliis *Cypriani* locis & præsentis loci sensui & consvetudini ejus temporis consentaneum est. Qvare frustraneum est, qvicqvid hic rimentur & indagent viri eruditi de nominum oblatione, qvippe qvæ in antiqvitate nullibi locorum amplius extra *Cyprianum*, falsò lectum, comparet, cui verò offerre nomine alterius, non est recitare nomen illius, sed munera ad Ecclesiam pro homine lapso adferre, eoqve ipso testari, in communionem fidelium eundem iterum receptum esse. Qvamqvam verò dum hæc munera offerrentur, simul recepti nomen, inter alia offerentium nomina, citra dubium memoratum fuerit, tamen non indicium tantum apud *Cyprianum* nullum, qvod id inter ipsa sacrificii solennia factum fuerit, sed præterea etiam manifesta in textu distinctio actus extrasacrificialis & sacrificialis contrarium aperte insinuat. Cum enim conqvestus esset, nondum factâ exomologesi, nondum impositis Episcopi & Cleri manibus, *ad communicationem admitti & offerri nomine eorum*, (qvæ de eâ Ecclesiæ communione accipienda sunt, qvâ vel pœnitentes vel alii sine Eucharistiâ ad fidelium consortium & communionem admittebantur) tum verò de alterâ demum communionis Eucharisticæ specie subdit: *& nondum pœnitentiâ actâ, nondum manu eis ab Episcopo & clero impositâ, Eucharistiam illis dari.* Nisi diversæ fuissent communionis species, qvid opus fuisset, rem eandem iisdem planè verbis repeti? Qvare si qvis Cyprianum de communione Eucharisticâ in prioribus verbis accipiat, ideò qvod hodie nihil ferè sit in usu, qvod communionis appellatione intelligatur, præter Eucharistiam, is ad Aurelianensem Episcopum, *Gabr. Albaspinæum*, amandandus est, qvi in fronte statim operis sui vulgares hac in re errores detegit & emendat. (18.)

XI. Apud eundem Cyprianum *nominationis* appellatio

(18.) Observ. Eccl. L. I. c. I.

tio occurrit. Locus integer ita habet: *Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neq; enim apud altare DEI meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit avocare. Et ideò Victor cum contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum, Presbyterum, ausus sit tutorem constituere, non est, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesiâ frequentetur.* (19.) Diximus de hoc Cypriani loco superiori capite fusè. (20.) Offerre pro fratre demortuo & sacrificium pro dormitione ejus celebrare, non est *ob defunctorum commemorationem sacram cœnam administrare*, uti quidem re non rectè consideratâ è nostris etiam censuit celeb. *D. Sagittarius*, (*) sed munera illius loco ad Ecclesiam adferre, DEumq; expresso ipsius nomine precari, ut animam defuncti æternis beare gaudiis velit. *Nec enim*, ut Jvo Carnotensis ait, *videbatur* piis primorum seculorum Christianis *otiosum, si pro his intercederent, qui jam requie perfruuntur, ut eorum requies augeatur.* Ceu Augustinus in funere matris suæ fecerat: *credo*, dicebat ad DEum, *jam feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba, Domine.* Ut adeò & hic locus commemorationem nominationis quidem in sacerdotum prece appellatione declaret, sed nominationem intelligat, non intra sacrorum solennia factam, verum extrasacrificialem. Eam nempe, quam Concilium Carthaginense III. canone ultimo commendat: *liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.*

XII. Alibi idem Cyprianus *commemorationes celebrare*, itemque *celebrare sacrificia ob commemorationes* dixit. *Dies eorum*, inquit, *quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus*, rogatque

(19.) Ep. I. Fell. p. 3. (20.) §. XXVII. (*) De Nat. Mart. c. V. §. X.

gatqve Tertullum, ut dies ipsi excessus significet: *ut celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationem eorum.* (21.) Nec aliter alibi *martyrum se passiones & dies anniversariâ commemoratione celebrare* testatur. (22.) De qvibus locis idem planè qvod de superiori judicandum est. Sacrificia nempe non Missatica, sed dicente ipso hic Rigaltio *laudes significant, qvas Christiani Sacris anniversariis DEO dicebant, commemoratis eorum nominibus, qvi martyrium obierant;* & munera, martyrum confessorumqve, in carcere decedentium, nomine adportata, qvæ dum precibus sacerdotis etiam extra sacrificium (23.) ad salutarem eorum usum consecrarentur, nomina illorum, qvi glorioſâ morte excesserant, recitabantur, commendabanturqve DEO, simulqve eorum certamina ad aliorum imitationem commemorabantur. Ut adeò ex universis *S. Cypriani* operibus nihil adferri possit, qvod citra dubitationem evincat, illo adhuc, aqvartum inclinante, seculo intra ipsasmet S. Eucharistiæ solennitates sanctorum commemorationem celebratam esse. Qvinimò ex *Innocentii* verbis à *Bonâ* adductis, evidenter apparet, ante sua tempora non in ipso sacrificio, sed ante omnem rem sacram nomina recitata esse, recentioremqve sapere morem, qvod in ipsâ Sacrificiali solennitate nominari cœperunt.

XIII. Nunc cæteras hujus moris appellationes compendiò perseqvemur. Cōmemorare nomina *Cyrillus Hierosolymitanus*, si qvidem ejus in dubitatò sunt catecheses, per *mentionem demortuorum facere*, exprimit: μνημονεύομεν, inqvit, ἡμῖν τῶν προκεκοιμημένων. (24.) Ita Augustinus: *qvos qvot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ, famulæ tuæ.* (25.) Epiphanio est *nomina dicere seu pronunciare.* Τὰ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων; qvod antea expresserat ipse Aërius, contra qvem scribit: ὀνομάζειν ὀνόματα τεθνεώτων; *nominat*

(21.) Ep. XII. (22.) Ep. XXXIX. (23.) Vide supra c. IV. §. VII. & IIX.
(24.) Cat. Myst. V. p. 241. (25.) L. IX. Conf. f. f.

minare nomina demortuorum. (26.) Eadem nominandi voce Ambrosius utitur: *omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutione complecti?* (27.) Eodem sensu *memoriam celebrare* & *memoriam facere* frequenter dicunt Chrysostomus & Augustinus. Ille: μνήμην ποιέμεθα τῶν ἀπελθόντων ἅπαντων μυστηρίων, *memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus.* (28.) Hic verò: *Nec piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare DEI fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.* (29.) Alibi idem Augustinus *ad altare vel altaris sacramenta recitari martyres* dixit, ceu ad locum paulò ante adductum notat *Leonhardus Coqveius.* Et Chrysostomus loco citato: *clamare super mortuis.* Ita enim: ὁ δὲ μάτην πρεσβεύει τῷ θυσιαστηρίῳ τῶν φρικτῶν μυστηρίων πλησμένων βοᾷ ὑπὲρ πάντων ἐν χριστῷ κεκοιμημένων, *Non frustra, qvi altari præest, cum tremenda mysteria celebrantur, clamat super omnes in Christo dormientes.* Commemorationis vox omnium frequentissima est, qvâ & usus Augustinus, cum inqvit: *ii, qvi corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur.* (30.) *Pro commemorationibus* defunctorum Missas fieri, Vasense Concilium edixit. (31.) Concilium Carthaginense IV. de iis, qvi attentè leges pœnitentiæ exeqvuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, sancit: *ut memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* (32.) *Jo. Damascenus* oratione, qvod qvi in fide hinc migrarunt, sacris operationibus & beneficiis multum juventur, principio statim profitetur, ordinasse Apostolos, (qvâ de re postea dicemus) ἅπὶ τῶν φρικτῶν καὶ ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων μνήμην ποιεῖσθαι τῶν πίστως κοιμηθέντων, id est, Joanne Oecolampadio interprete, *in tremendis & impollutis*

(26.) Hær. LXXV. §. III. & VII. (27.) Or. in Val. T. III. p. 12. (28.) Hom. XLI. in I. Cor. p. 460. (29.) XX. de C. D. IX. (30.) Serm. XXXII. De Verb. Ap. T. X. (31.) Conc. Vas. II. c. IV. (32.) Cap. LXXIX.

lutis vitalibusq; sacramentis memoriam eorum, qvi fideliter obdormierunt, habendam esse.

XIV. In originem itaqve primam factæ inter ipsa Missarum solennia sanctorum commemorationis si inqviramus, promptè alacriterqve Romanæ Ecclesiæ Doctores respondent, morem istum unâ cum Ecclesiâ N. T. exordium sumpsisse. *Fr. Christ. Lupus*, in Scholiis ad qvintam Synodum generalem: *omnium fidelium*, inqvit, *Episcoporum præsertim, in Ecclesiæ pace defunctorum, nomina honoratis tabulis inscribere & indies solenniter ad Missarum solennia recitare, est antiqvissima omnium sub cœlo Ecclesiarum consvetudo & Apostolicum institutum.* (33.) Parum ab hac confidente assertione recedit *Jo. Bona*, qvi: *usum*, inqvit, *diptychorum, eorumq; lectionem intra Missarum solennia, vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione seu traditione ab immediatis successoribus cœpisse satis constat.* (34.) Nec qvisqvam facile Pontificiorum abit à receptâ hac in ipsorum scholis opinione. Nos sententiam nostram, cum de origine hujus commemorationis, tum de cæteris ad hoc argumentum spectantibus, certis dilucidisqve assertionibus complectemur.

XV. Primam itaqve assertionem hanc constituimus: *altum esse in Divinis literis de ritu commemorandi sanctos*, utpote Enochum, Patriarchas, Mosen, Eliam, aliosqve, *in Eucharistiæ administratione silentium.* Ad comprobationem hujus asserti nostri non aliis utemur verbis, qvam *Jo. Dallæi*, viri immortalibus scriptis, inprimis adversus Romanorum novitates, inclyti. Ita ille: *Non alia in sacrâ occurrit in sanctâ hac cœnâ, qvam Domini & Dominicæ mortis memoria & commemoratio. Hoc facite, inqvit ipse rei auctor, in meam commemorationem. Hoc facite, inqvit Paulus, qvotiescunq; bibetis, in Domini commemorationem. Qvotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Nullius sancti commemorationem in hoc sacra-*

(33.) C. IIX. p. 751. (34.) Lib. II. R. L. c. XII. §. I.

sacramento fieri videmus, nisi Christi. Certè dignus erat Dominus, digna mors, quam pro nobis passus est, cujus unius commemorationi totum hoc sacrum impenderetur. Ut in cruce morientis nemo socius fuit: ita neq; in hoc mysterio commemorari quemquam par fuerat. Quædam Christi injuria est, in plures partiri, quod ei uni debetur. Ut ejus mors planè singularis fuit: ita & singularem esse decet nostram grati in eum animi significationem. Eucharistia nullius Apostoli, nullius martyris res est. Tota Christi est. Quâ tu fide Christo in sacro, illi uni instituto, socios adjungis? Mors Christi hic commemoratur, quæ in Christum unum incubuit. Ea una nos & omnes & toti redempti sumus. Mortis illius unica honos est commemoratio, quæ fit in Eucharistiâ. Quid Petrum & Paulum & Cosmam & Damianum piorum mentibus, in Christi sui memoriâ defixis, molestus interpellator objicis? Quoties ac ubicunq; sol fulget, ibi latent omnes stellæ. Quid præsente Christo alios me circumspectare cogis? Si benè rem putes, sanctos Christi sui regis ac DEI honoribus permiscere, & ipsis invidiosum est & nobis periculosum. Satius ac tutius erat, servatoris instituta pura atq; illibata revereri, neq; ultra ejus mandatum sapere. (35.) Hactenus ille planè piè atq; Christianè. *Bellarmini* exceptio, (*) qvod commemoratio Christi & sanctorum diverso respectu simul consistere possint, ex eo elicitur, qvod mandatum Christi una cum exemplo ejusdem respiciendum sit. Cum itaqve Christus discrimen Bellarminianum non ignoraverit, nec tamen suæ commemorationi commemorationem sanctorum conjunxerit, nec nobis id faciendum esse, pronâ opera facile colligitur.

XVI. Seqvitur assertio secunda: *eandem Sanctorum in Eucharistiâ commemorationem nec ab Apostolis, aut ex traditione Apostolorum ab eorundem immediatis successoribus, sacrificiis solennibus insertam usurpatamq; fuisse.* Id enitescit ex perpetuo scriptorum sacrorum silentio. Qvomodo enim

(35.) Lib. IX. de Lat. Cult. c. XIII. p. 1241. (*) II. de Miss. IIX. §. *Respondeo-Christus.*

fieri poterat, ut & Lucas in Actis & Paulus, cæteriqve Apostoli in Epistolis suis rem tam arduam, tamq; ad totius Ecclesiæ vel salutem vel ornatum facientem, si morem administrandi sacra, à Christo usurpatum, statim initio fundatæ Ecclesiæ mutassent, supino silentio pressissent? Consistit hodie summus qvasi totius cultus Divini apex juxta Romanorum placita in Missæ sacrificio, & morem illud celebrandi, si alius à Christi praxi placuisset, nunqvam Apostoli indubio scripto comprehendissent? Paulus integris XIIX. post ascensionem Christi annis priorem ad Corinthios epistolam exaravit, nec in ullo punctulo à modo Evchariſtiam celebrandi, qvo Christus usus fuerat, recedit. Et hunc morem acceptum à Christo illibatum se Corinthiis tradere profitetur. Tanto autem ab exaltato Christo tempore si forma s. synaxin agendi nihil mutata fuit, qvi præsumamus, tantam accessionem postea aut ab Apostolis aut eorum jussu ab aliis passam esse? Qvod si traditionem tantopere urgent Pontificii, habent hic curatissimè descriptam Pauli traditionem: *tradidi vobis*; & qvidem, *quod accepi*, non per fallaces manus, sed à Domino. Addo *Bessarionis*, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, de hoc argumento verba, à *Jo. Dallæo* mihi submini strata. *Paulus tradidit nobis, qvæ acceperat. Cum autem ea sola tradiderit, qvæ in Epistolâ ad Corinthios scribit, certè illa sola accepit & illa sola Apostolos facere vidit. Nam si plura facere vidisset, ea qvoq; tradidisset. Nihil autem in illâ Epistolâ dicit amplius, nisi Christum accepisse panem in sues manus, benedixisse, dedisse discipulis atq; dixisse: accipite & comedite: hoc est corpus meum. Idem igitur omni ex parte Apostoli, quibus tradentibus Paulus id accepit, faciebant. Hoc tantum ab illis accepit Paulus, hoc tradidit nobis.* (36.)

XVII. Demonstrat subinde *Dallæus*, (37.) nunqvam in Ecclesiâ graviſſimos defuisse doctores, qvi crediderint scripserintqve, simpliciſſimâ istâ Eucharisticæ Liturgiæ formâ

(36.) Lib. IX. de Cultib. Lat. c. I. p. 1176. (37.) c. II. p. 1179. f.

formâ & Apostolos & primam post Apostolos Ecclesiam usos esse. *Gregorium Magnum*, eumqve Romanum Pontificem, scripsisse: *morem Apostolorum fuisse, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* (38.) Walafridum Strabonem: Apostolos & post ipsos proximos *orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, egisse simpliciter.* (*) Nec aliter postea diversis seculis scripsisse plures alios, Remigium Altissiodorensem, Stephanum Eduensem, Bernonem Augiensem, Rupertum Tuitiensem, Hugonem de S. Victore, Honorium Augustodunensem, Guilielmum Durantem, Radulphum Tungrensem, B. Platinam, Antonium, Episcopum Florentinum, Bessarionem Cardinalem, eqvè recentioribus Petrum Cirvelum, Beatum Rhenanum, Georgium Cassandrum & Polydorum Virgilium, qvorum omnium ipsa adducit verba. *Joannes* qvidem *Bona*, magnæ existimationis in Rom. Ecclesiâ Cardinalis, (39.) postqvam recensuisset Gregorii Magni, Honorii item & Strabonis sententiam, addit, non deesse alios auctores, qvi Missarum solennia ab Apostolis multo magnoqve ceremoniarum apparatu peracta esse testentur. Producit *Proclum* Constantinopolitanum & Joannem *Chrysostomum*. At verò qvod ad *Proclum* spectat, is, siqvidem genuinum ejus scriptum liber est de traditione Liturgiæ, (qvod tamen, dicente noviſſimè *Rich. Simone*, (*) extra controversiam non est) tot aliis testibus, qvot ex omni seculorum serie produxit *Dallæus*, solus opponi non potest; & si vera sunt, qvæ scribit, Proclus: *Apostolos, cum multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam reperissent, fusissimè, longoqve verborum ambitu Missam decantasse*, Apostolica Liturgia hodiernis omnibus prolixior fuerit necesse est, qvippe qvi vinci se in re tam excellenti & Divinâ, consolationisqve plenissima

(38.) Lib. VII. Ep. c. LXIII. (*) Tom. VI. Bibl. Patr. c. XXII. (39.) Lib. I. R. L. c. V. §. III. (*) Act. Lipsi. a. M DC LXXXIIX. p. 137.

à succeſſoribus ſuis haud ſiviſſent. Id nec *Bona* crediderit, qvi utiqve fatetur, *ab initio breviſſimum fuiſſe Liturgiæ ritum, ita exigente primæ Chriſtianitatis inter procellas adverſantium naſcentis conditione*; putat verò, *poſtea, creſcente fidelium numero Apoſtolos lectiones, preces, ceremonias adjicere cœpiſſe, qvibus & ſacrificii dignitas clarius eluceſceret & major ipſi veneratio conciliaretur, pietasq; fidelium ac fervor magis accenderetur.* Atqve hoc pacto conciliandas eſſe diſſidentes patrum ſententias exiſtimat, ut nempe dicantur Apoſtoli utramqve formam, & brevem & prolixam, diverſis temporibus adhibuiſſe; brevem qvidem, cum temporis anguſtia vel perſeqventium metu premebantur, prolixam verò, cum per tempus & occupationes licebat. Ad hæc effugia, perqvam profectò infirma, (ceu ante biennium in ipſâ Rom. Eccleſiâ agnovit in Apparatu ad Bibliothecam maximam *Nicolaus le Nourry*, cauſatus, diſtinctionem hanc plus ſubtilitatis qvam ſoliditatis habere; immo faſſus & ipſe, Apoſtolorum Liturgiam nonniſi ſimpliciſſimam fuiſſe, ſolâ oratione Dominicâ & forte verbis S. Cœnæ inſtitutionis circumſcriptam) Cardinalem difficultas conciliandi hodiernam Romanæ Eccleſiæ praxin cum Apoſtolico more, à qvo adeò longè diſceſſiſſe videri non vult, adduxit. Qvotqvot breviorem fuiſſe, immò breviſſimam Apoſtolorum Liturgiam tradidere, ii Apoſtolos hoc ad exemplum magiſtri ſui, à qvo recedere noluerint, qvippe qvod & Paulus, ab ipſo Chriſto edoctus, citra omnem vel additionem vel ſubtractionem fecerit & faciendum Corinthiis ſuis tradiderit, feciſſe adſeverant. Simplicitatem dilaudant ævi Apoſtolici, ab omni adſcititio ornatu alieni. At ſi ipſimet Apoſtoli, qvando per tempus & calamitates publicas licebat, fuſiſſimè longoqve verborum ambitu Miſſas decantarunt, qvomodo ducem ſunt ſecuti Chriſtum, ſolâ benedictione conſecrantem, qvomodo omnia, ut *Strabo* ait, agebant ſimpliciter? Si ex diffuſo offerendi ritu tantum ad eos redundavit ſolatii, cur eosdem

osdem consolationum latices non aperuerunt iis, qvi post ipsos, in haud minoribus periculis constituti, pari solatio indiguerunt? Præcipuè cum, *Proclo* dicente, hanc Missæ formam ordinaverint Apostoli non diu post Christi assumptionem, sed statim in ingressu officii sui, *antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur*; nec temerè & inconsultò rem tantam fecerint, *sed conspirantibus animis convenientes, ad integrum orandum diem conversi.* Qvomodo itaqve initio brevissimus fuit, ut *Bona* loqvitur, Liturgiæ ritus, longior demum crescente fidelium numero factus? Et qvid hoc est, multitudine ceremoniarum sacrificii dignitatem clarius eluxisse, majoremqve devotionem conciliatam esse? Qvasi ignoraverit Christus, qvibus ceremoniis vestire hoc Sacramentum deberet, ut major oriretur in animis hominum pectoris devotio, pietasqve fidelium ac fervor magis accenderetur! Itane hominum instituta Divinis consiliis prudentiora sunt, ut hæc per illa emendari & reddi sanctiora conveniat? His difficultatibus cautior factus *Jo. Mabillonius*, planè ignorari caussatur, qvalis fuerit Apostolorum Liturgia? *Liturgiæ status primigenius*, inqvit, *ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Gelasium usq; , qvalis fuerit, non omninò constat.* Interim ad tot ex omni ætate doctorum testimonia respondere non audet. Jam ex pumice citius aqvam, qvam ex *Chrysostomi* adducto à *Bonâ* loco (39.) Liturgiæ prolixitatem exsculpas. Ita aurei oris pater adversus eos, qvi sumpto sacro cibo comessantur illicò & inebriantur: *Spiritu pastus Satanicum introducis cibum? Considera, cum sacras illas cœnas Apostoli accipiebant, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur & hymnos? Nonne in sanctas vigilias? Nonne in longam illam doctrinam & multæ plenam Philosophiæ?* Hanc longam doctrinam citra dubium de Liturgiâ accipit *Bona.* Id enim nisi faceret, nec speciem qvidem ullam haberet probatio. Nam preces sine omni prolixitate & pompâ in

(39.) Hom. XXVII. in I. Cor.

consecrandâ primâ cœnâ ipse adhibuit Servator: εὐλογήσας, ait Evangelista, καὶ εὐχαριστήσας. Hymni verò Eucharistiam vel antecedunt vel sequuntur, nec Liturgiæ partem constituunt. At verò si rectè Chrysostomum intuearis, de Liturgiæ more, quo Christus usus fuerat, loquitur, si de Liturgiâ loquitur, non quem Apostoli post Christum observabant, de quo tamen unicè quæstio est. Quem autem administrandi modum tenuerit Christus, non opus est, id à *Chrysostomo* doceri, cum historiam rei longè certius & accuratius enarrent tres Evangelistæ & Paulus. Sed & de ipsâ Christi Liturgiâ ne verbulum quidem habet. Nec enim de modo cœnam administrandi, sed de modo salutariter eâdem utendi unicè ei sermo est. Recensuerat fœdam sui temporis consvetudinem, quâ in maximis etiam solennitatibus post communicationem statim subiret ebrietas & pauperum contemptus. Jejunium quidem & preces antecedere apud plerosque S. Eucharistiæ usum fatetur, sed conqueritur, sequi luxuriem & crapulam. Hoc cacoethes refutaturus: *tu quidem*, ait, *priusquam accipias, jejunas, ut aliquo modo dignus communicatione videaris; cum autem acceperis & oporteret in continentiâ perseverare, omnia perdis. Æquum est & ante & post communicationem jejunare; oportet enim utroque tempore continentem esse, sed maximè post acceptum spiritum: ante, ut dignus fias accipiendi, postmodum, ut non indignus videaris, qui acceperis.* Palam est, *Chrysostomum* hoc thema: etiam post communionem jejuniis precibusque operam dandam esse, auditoribus suis persvadere velle. Argumentum adducit Apostolorum exemplum, cum primæ omnium cœnæ participes facti essent. Hos enim, *postquam accepissent sacras epulas*, (ita enim, non; *cum sacras cœnas accipiebant*, ut Fr. Aretinus interpretatur, Græcus sermo: ὅτε μεταλαβον τῶν ἱερῶν δείπνων ἐκείνων, convertendus est) ad preces se hymnosque, (ὑμνήσαντες, ait Evangelista) convertisse atque ad sanctas vigilias. (γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε, Matth. XXVI. 41.) Ad longam item doctri-

nam,

nam, eamq; multæ Philosophiæ plenam. Utqve de ipsâ cœnæ administratione se non loqvi, sed de pietatis exercitiis, cænam Christi insequentibus, qvidqve intelligeret per longam doctrinam & sacræ Philosophiæ plenam, evidentius significaret, subjicit: *magna enim & admirabilia tunc eis narrabat & annunciabat JEsus, cum Judas discederet vocatum, qvi eum erant crucifixuri.* Nempe conciones illas benè multas magnasqve, iisdemqve intermistas preces intelligit, qvas post hymnum, (qvi & ipse cum precibus seu gratiarum actione post administratam jam cœnam dictus est, Matth. XXVI. 30.) ad discipulos suos habuit, partim in diversorio, Luc. XXII. 25. Joh. XIV. XV. XVI. XVII. partim postqvam ad montem oliveti egressus esset, Matth XXVI. 31. s. 36. s. Luc. XXII. 31. s. Has longæ doctrinæ titulo & qvæ plurimum in se sanctæ Philosophiæ contineret, dignatur. Eodem pacto volebat *Chrysostomus* auditores suos, sacramenti devotione perfunctos, non vino & comessationibus, sed sacris meditationibus, colloqviis Christianis, sobrietate victus, hymnis, precibusqve, reliqvum diei tempus terere. Adeò clarum hoc est, ut pene dicendum mihi sit, pium dolum committere Bonam voluisse, ut unum *Procli* testimonium, qvia duo ad minimum testes ad veritatem dicendam reqviruntur, altero *Chrysostomi* compleret, ne in argumento tam necessario Romana Ecclesia omni defensione destitueretur.

XIIX. Succedit assertio tertia: *neq; secundo tertioqve seculo hanc sanctorum commemorationem in Eucharistiæ solennibus comparuisse.* Id ei facile persvadebitur, qvi expenderit, duobus locis *Justinum*, sesqviseculo à nativitate Christi distantem, morem conficiendi distribuendiqve Sacramenti, Apologiâ ad Antoninum Pium, recensuisse, sed utroqve loco ne latum qvidem ungvem à more, qvo Servatorem nostrum usum esse Evangelistæ produnt, recessisse. Verba sunt: *absolutis, qvas tota Ecclesia fundit, precibus, panis profertur & vinum & aqva. Qviqve Ecclesiæ præest, preces similiter*

&

& gratiarum actiones pro virili suâ ad DEum mittit, populus verò acclamat: Amen. Et tum distributio pariter atq; sumptio ex iis, super qvæ gratiæ actæ sunt, cuilibet contingit. Altero loco verbis utitur, parum ab his diversis, nisi qvod dicat, sacerdotem *gloriam DEO Patri omnium per nomen Filii ipsius & Spiritus S. referre & prolixè*, (πρὸ τὸ πολὺ) *gratiarum actionem, pro eo, qvod nos donis suis dignatus est, exeqvi.* Ubi observo, cum de Christo dicitur, qvod εὐλόγησε, *benedixerit*, itemqve qvod εὐχαριστῆσαι, *gratias egerit*, cum voces illæ auctorum usu vel parum vel nihil differant, veteres qvoqve per easdem id intellexisse, qvod Christus Patri æterno æternas laudes pro consilio & opere redemptionis humani generis dixerit, gratiasqve egerit, qvod tanta corporis sangvinisqve sui dona, qvibus fideles à peccatis liberati impensissimè recreentur, in illud profuderit. Agnoscit hoc & ex vetustissimâ Latinâ Missâ ejus rei indicium profert *Petrus de Marca.* (*) Hæ preces cum speciatim ab Evangelistis haud recensentur, concipiendæ à sacerdotibus ad exemplum Christi fuerant & in Eucharistiæ administratione repetendæ. Ut autem in cæteris omnibus morem à Christo servatum accuratè expressit Justini tempore Ecclesia, ita & in hac gratiarum actione factum id esse, ob narrationis omnimodam convenientiam dubitari neqvit. Unâ itaqve, non pluribus orationibus, consecrarunt. Et qvia illa argumentum totius redemptionis nostræ, beneficiorumqve ab omnibus SS. Trinitatis personis in nos profusorum, mysterii inprimis pretiosæ carnis & sangvinis Domini, cujus institutio orationi citra dubium inserta fuit, in se complectebatur, fieri non potuit, qvin πρὸ τὸ πολὺ & prolixè orare viderentur. Ejus rei vestigia in hodiernis Latinorum Missis comparent. Nempe, qvæ hodie præfationes sunt, atqve post vulgarem excitationem sacerdotis: *Dominus vobiscum*; itemq;: *sursum corda*; incipiunt: *Gratias agamus Domino DEO nostro*; deinde: *verè*

(*) De Sacram. Evch. p. 9.

verè dignum & justum est; adjuncta oratione Dominicâ, ap. antiqvos ipsa oratio consecratoria fuerunt, qvibus statim subnexa est verborum institutionis recitatio: *Qui pridie quam pateretur*: & huic invocatio illa: *Te igitur, clementissime Pater.* Irenæus enim *panem invocationem DEI percipientem* Evchariſtiam fieri asserit. (40.) Qvibus dictis è vestigio communicabatur. Planè idem putasse qvosdam refert *Beatus Rhenanus*, (41.) qvod compertum habuisse ait, *quia vetustos S. Literarum interpretes, videlicet Origenem & similes cum judicio diligenter excusserint.* Nec alienus ab iis ipse est, dum agnoscit, in illâ oratione, qvæ hodie in plures divisa est, præ cæteris omnibus multa *ipsissimam antiqvitatem præ se ferre & admirabilem spirare sanctitatem.* Fatendum tamen, perqvam verosimile videri, hæc omnia orationem, à *Justino* descriptam, qvippe in qvibus omnibus Spiritus Sancti nulla fit mentio, qvem tamen simul cum Patre & Filio invocatum esse ait *Justinus*, nondum absolvere; sed præterea tale qvid in primorum seculorum Liturgiis fuisse, qvale Græcorum, etsi multis modis corruptæ, Liturgiæ exprimunt: *Spiritum tuum Sanctissimum emitte nunc quoq; Domine in nos & in hæc sancta dona proposita, ut superveniens sanctâ & bonâ & gloriosâ suâ præsentiâ sanctificet & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui & calicem hunc pretiosum sangvinem Christi tui, in remissionem peccatorum & vitam æternam, in sanctificationem animarum & corporum.* (42.) Hanc autem talem, ad exemplum Christi exactam, orationem nihil in se commemorationis sanctorum, qvi tum secundum Romanæ Ecclesiæ placita in cœlos nondum evecti fuerant, continuisse, ipsimet Pontificii haud illubenter concedent. Unum dictis addo; qvando *Gregorius M.* ad ipsam *solummodo orationem oblationis hostiam consecrasse Apostolos* adseverat, hanc ipsam nobis hactenus descriptam orationem citra dubium intelligere, secus

(40.) Lib. IV. adv. Hær. c. XXXIV. (41.) Annot. in Tert. de Coron. Mil. p. 436. (42.) Dall. III. de c. L. XIII.

qvam antiqvi pariter & recentiores existimant, qvi verba Pontificis ad solam orationem Dominicam restringunt. Illum sensum si tenueris, neqve opus erit, cum *Jo. Bonâ* verba consecrationis *Gregorio* adjicere, (43.) neq; cum *Dallæo* omissionem benedictionis Dominicæ desiderare. (44.) Ubi cum Dallæus: *nescio*, inqvit, *unde habuerit Gregorius, hac oratione usos Apostolos ad Sacramenti confectionem*, minusq; necessariam ideò judicat orationem ad Sacramenti substantiam, id tantum revoco in memoriam, qvod duobus ante Gregorium seculis scripserit Hieronymus: *Sic docuit Apostolos suos Christus, ut qvotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqvi: Pater noster, qvi es in cœlis.* (45.)

XIX. Unus poterat asserto superiori remoram injicere *Cyprianus*, seculi tertii scriptor, qvi nonnullis, etiam doctissimis, viris commemorationis Sanctorum martyrum intra ipsa mysteriorum solennia mentionem facere videtur. Sed jam in superioribus, eundem in omnibus illis, qvæ vulgò adducuntur, locis de sacrificio non loqvi adeò dilucidè comprobavimus, ut planè speremus, neminem amplius de eo dubitaturum esse.

XX. Assertio esto tertia: *Non posse ullis idoneis firmisqve argumentis probari, martyres vel sanctos in Eucharistiæ celebratione, trium primorum seculorum ambitu, nominatos esse.* Hic jam sese amplissimus pandit campus considerandi ea præsidia, qvibus Romanæ Ecclesiæ addicti, pauciqve alii, ritus hujus antiqvitatem comprobare satagunt. Et primò qvidem omnium comparent Liturgiæ Apostolorum, in qvibus & Diptychorum fit mentio, (de qvibus deinde particulatim dicemus) & Sancti demortui ipso nomine memorantur. Præcipuè in Liturgiâ S. Jacobi, qvæ cæteras omnes & certitudine & Divinâ origine, Christi qvippe ipsius jussu Jacobo ad calamum dictata, & adeò instituti sanctitate

(43.) I. R. L. V. 3. (44.) IX. de C. L. R. II. p. 1179. (45.) III. adv. Pel. p. 305.

ctitate præcedere dicitur. In illâ verò ita infit Sacerdos: *Commemorantes sanctissimam gloriosissimam Dominam nostram, matrem DEI & semper virginem Mariam, cum omnibus sanctis & justis, nos ipsos & inter nos & omnem vitam nostram Christo DEO commendemus.* (46.) Id itaqve si verum sit, & Apostolicum institutum isthæc commemoratio fuerit necesse est & planè Divinum.

XXI. Hujus Liturgiæ γνησιότητα præ cæteris Apostolicis omnibus Epistolâ ad Nihusium propugnat *Leo Allatius.* (47.) Id verò qvantocunqve non conatu tantum, sed impetuoso qvodam molimine aggrediatur, vir de cætero antiqvitatum Ecclesiasticarum haud imperitus, id tamen eundem facere argumentis tam infirmis, telaqve, ex adverso eidem opposita, tam langvidè retundere, ut vel in historiâ infans primâ statim lectione, nisi animus, qvod Cardinali *Bonæ* accidit, sit occupatus, animadvertat, neminem extra partes positum dubitaturum esse arbitror. Nos, qvi id nunc agere ob argumenti prolixitatem non possumus, ut omnium Allatianorum imbelle robur ob oculos ponamus, ea tantum momenta adferemus, qvæ & ad scopum nostrum propius faciunt & ex qvibus de cæteris judicare in proclivi erit.

XXII. Qvare si Jacobi illa Liturgia genuina est, qvî scribere I. *Gregorius M.* potuit, solâ oratione oblationis hostiam consecrasse Apostolos? Qvî *Walafr. Strabo*, qvod nunc agimus multiplici orationum officio, totum hoc Apostolos, (qvos inter & Jacobus, Liturgiæ auctor, juxta plerosqve Pontificios fuit) & Apostolis proximos, (fuit autem Jacobus Apostolis non tantum proximus, sed planè coævus, si Frater Domini, qvod nonnulli putant, ab Apostolo alius fuit) orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, ad eum modum, qvo Christus præceperit, simpliciter egisse? Jacobi verò Liturgia tanta prolixitate turgere, (idqve

(46.) Tom. VI. Bibl. Patr. S. Bin. p. 6. (47.) Qvæ extat in Symmict. p. 191. f.

ex ipsius Christi instituto, hanc Liturgiam Jacobo dictantis, ut ex Maronis in eandem commentario refert *Abr. Ecchellensis*) deprehenditur, ut detergendo auditorum fastidio necesse fuerit, eandem à *Basilio* & *Chrysostomo* abbreviari. Qvis verò credat, hos duumviros, tantâ doctrinæ & sanctitatis gloriâ eminentes, id contrahere ausos esse, qvod ab Apostolo, inspirante Christo, credidissent profectum? Qvis credat, universam Ecclesiam Græcam, abolitâ summi sui magistri Liturgiâ, in servorum suorum Liturgiam consensisse, aut recentiora præhabuisse Apostolicis? Jacobi verò Missam in Græcanicâ Ecclesiâ non legi testatur *Thomas Smith*, Anglus, (48.) nec ea ullibi in Euchologio eorum, diligenter à *Goare* collecto, comparet. II. Recentioris ætatis indubitata signa sunt voces, qvæ in Liturgiâ occurrunt, Deiparæ, ὁμοούσιε, Trisagii, (de cujus recentiori origine pererudita est contra Allatium aliosqve Dissertatio Petri A. V. D. M. Rhotomagi A. M. DC LXXIV. edita) Monachorum & confessorum, ceu jam olim advertit *Rivetus*: qvas impossibile est adversus Arium seculo IV. & adversus Nestorium seculo V. non adducturos fuisse Niceni & Ephesini Conciliorum patres, si illæ qvotidie in plusqvam millenis Orientis, ejusqve principis partis, Ecclesiis, immò omnium Ecclesiarum matre, Hierosolymitanâ, publicè lectæ fuissent. Frustra excipit *Allatius*: nec allegasse Origenem, Eusebium, aliosq;, qvos vocibus illis ante exorta certamina usos esse, Conciliorum patres ignorare haud potuerint. Nam præterqvam, qvod id de Origene incertum sit, immò, me judice, planè falsum, (utcunqve id de eo testentur *Eusebius* & *Ruffinus*, nec fidem iis derogare velit inter recentiores doctissimus *Bullus*, (49.) benè de patribus omnibus AnteNicenis meritus) qvæ isthæc est febriculosa comparatio inter patrem unum alterumqve singularem & recentem, ab heterodoxiæ suspicione nec apud veteres omnes immunem, cujus auctoritas Ario

(48.) De statu hod. Eccl. Gr. p. 81. (49). Def. Fid. Nic. c. IX. p. 190.

rio & Neſtorio minimo cum valore opponi poſſe patres non neſciverant, & inter integras, easqve principes & antiqviſſimas, immò Apoſtolicas Eccleſias, ortum Liturgiæ ſuæ ad ipſius Chriſti dictatum referentes, qvo ampliſſimo teſtimonio novelli hæretici, uno qvaſi ictu, eoqve inſuperabili, potuiſſent proſterni? Præterea unius alteriusqve patris locum, Concilio inſervientem, ab omnibus ignorari potuiſſe, ex iis non eſt, qvæ fieri abſolutè neqveunt, ut audacter nimis pronunciat *Allatius*, cum & hodie longo ſæpe poſt certamina tempore in antecedente uno alteroqve ſcriptore, etiam celebri & à plerisqve lecto, deprehendantur, qvæ initio ſtatim haud advertuntur. At in Niceno Epheſinoqve Concilio ipſe aderat Patriarcha Hieroſolymitanus, aderant ex vicino illius regionis tractu plurimi graviſſimiq; Epiſcopi. Hi verò tacere rem, oculis manibusve non ipſorum tantum, ſed qvaſi totius orbis, obviam? Non exaggerare matris Eccleſiarum inde ab Apoſtolorum tempore derivatum ad ſe nunqvam interruptâ ſucceſſione inſtitutum? Diſſimulare Jacobi ſui de Liturgiâ ſuâ ſanctiſſimam juratamqve obteſtationem: *vivit Dominus, qvod non addidi, neq; diminui qvicqvam ex eo, qvod audivi à Domino noſtro?* Qvam frigidum itaqve eſt, cum *Allatius* ad objectionem: qvare ergo Nicenum Concilium Liturgiæ illius auctoritate litem non diremerit? transfugæ inſtar ad frivolum κρησφύγιον ſe recipit: *petat*, inqvit, *ipſe à patribus, qvi tantum ſibi fidit, mihi ipſe non tanti ſum, ut tantorum patrum acta examinare me poſſe confidam?* Victas nempe dat manus, dum reſpondere nihil poteſt. III. Qvantumvis Protei inſtar in infinitas ſe vertat formas *Allatius*, ut Liturgiæ γνησιότητα obtineat, negare tamen tentatis omnibus non poteſt, *nonnulla ei eſſe addita vel detracta vel immutata, pro oportunitate temporis.* Iraſcitur verò Bellarmino ſuo, qvod dixiſſet, *ita locupletatam à poſterioribus fuiſſe, ut non facile ſit dijudicare, qvæ pars iſtius Liturgiæ ſanctum Jacobum habeat auctorem?* Cauſatus luctuoſam,

nimium esse Criticam, qvæ omnia absumit & devorat. Accedit qve potius *Baronio*, cautius, ut ait, asserenti: *non nihil, sed non nimis immutatum in eâ esse.* Penè dixissem: risum teneatis, amici! An enim huic tuæ opinioni, *Allati*, non idem obverti potest, qvod tu objectasti Bellarminianæ? *An habes genuinam Jacobi*, (hæc tua verba sunt) *cujus collatione* tantillam, non majorem, *mutationem factam deprehendisti? Falsitas nulla asseritur, nisi prius veritas, qvænam fuerit, comprobetur; tum enim immutatio & læsio deprehenditur. Et nos cum ipsam Jacobi Missam, ut illam Apostolus composuit, non viderimus, dicemus*, non nihil, sed non nimis immutatum in eâ esse? Poteratne *Allatius* validius qvam suismet verbis refelli? Sed est tamen *Allatio*, unde probet, nihil repugnare, qvo minus Liturgia Jacobi pusillulam qvandam, minimè verò tantam, qvantam somniet *Bellarminus*, subierit mutationem. Nempe in Liturgiis duo considerandа esse: ipsam actionem & sacrificium, partesqve illius potissimas; & preces, orationes, lectiones & ritus nonnullos, qvæ tanti sacrificii & admirabilis mensæ sint veluti παλωσ́σματα & bellaria. In priori illo rem semper manere eandem, in posteriori variationem non esse insolentem. Meritò qværeres ex *Allatio*, qvo Divino privilegio munitæ sint Liturgiæ, ut in illo priori mutari possint, non possint in posteriori? Sed audiamus illum, qvæ sint potissimæ illæ partes, qvæ ipsam actionem & sacrificium constituunt? *Facili*, inqvit, *negotio à sano prudenteq; viro discernuntur. Partes sacrificii potissimæ fuerint, qvæ eadem apud omnes Liturgiarum scriptores sunt, licet verbis aliis atq; aliis exprimantur: apparatus nempe ministrantium, psalmorum & lectionum ex S. Literis lectio, Catechumenorum pulsio, super altare panis calicisq; positio, preces, pacis precatio, diptychorum recitatio, panis & calicis consecratio, eorundem ostensio, consummatio & tandem gratiarum actio. Hæc in omnibus Liturgiis perpetua sunt. Qvæ ad hæc capita pertinent, Jacobi γνήσια sunt.* Bone DEus! qvanta hæc est in pronunciando audacia?

dacia? Qvanta temeritas? Itane sine hac pompâ nulla unqvam Missa celebrata fuit? Ergo & Servator ipse ministrantium instructus fuit, dum primam celebravit Missam, apparatu? Ergo & psalmi & sacra alia longo ordine prælecta sunt? Ergo Catechumeni, qvi tum nulli fuerant, pulsi sunt? Ergo recitata ex Diptychis martyrum nomina sunt & confessorum, qvi tum nondum extiterunt? Si hæc omnia in qvalibet Liturgiâ perpetua sunt, nec ex ipsius Christi administratione exulaverint necesse est. Cur verò tantarum rerum, ad ipsius sacrificii substantiam pertinentium, nec verbo fit in institutionis formâ mentio? Jam qvomodo hæc talia & in Petri Missâ fuerint, qvæ solâ orationis Dominicæ, &, si *Bonæ* credimus, verborum institutionis recitatione consummabatur? Non credo, vel pertinacissimo Romanorum rituum in suamet Ecclesiâ cultori talia hodie persvasurum esse *Allatium*. Cautius, ut Allatiano verbo utar, Jo. Bona: *credo*, inqvit, *ab initio brevissimum fuisse Liturgiæ ritum*. Qvi idem tres facit rituum circa Liturgiam species, qvarum prima complectitur ea, *sine qvibus sacrificii ratio nullo modo subsisteret; cujusmodi sunt panis & vini præparatio, oblatio, consummatio & ipsius Sacramenti communicare volentibus distributio*. Rectissimè eqvidem; ex qvo consequitur, qvicqvid de cætero ad sacrificium accedit, id extra substantiam ejus esse, citraqve illud subsistere posse atqve ad ornatum tantum ejus pertinere: qvamqvam in certas hujus ornatus partes omnes Ecclesiæ temporis successu, non primâ statim Apostolorum ætate, conspirasse nolim inficiari. Potuit itaqve Jacobi Missa isthæc substantialia complecti & integritatem suam, ut loqvitur *Bona*, sartam tectam habere, & tamen omnibus illis, qvæ reqvirit *Allatius*, utpote apparatu ministrantium, psalmorum & pericoparum ex sacris lectione, Catechumenorum pulsione, super altare panis viniqve positione, variarum orationum pacisq; precatione, Diptychorum recitatione, symbolorumqve ostensione, perinde ut in Christi ipsius cœnâ, destitui:

destitui: ut adeò qvamqvam postea in hæc omnia ornatus complementa consenserint omnes Ecclesiæ, neqve reperiatur hodie ulla Liturgia, qvæ potissimam eorum partem haud contineat, tamen nullo modo seqvatur, & primo statim Apostolorum tempore illum ubiq; ornatum viguisse, cum sine illo sacrificium ipsum nemine dubitante potuerit absolvi. Qvare IV. totus iste *Allatii* conatus efficere non potuit, qvin viri antiqvitatis in Romanâ Ecclesiâ peritissimi ad hunc usq; diem Jacobi Liturgiam non inter adulterina tantum Jacobi scripta referrent, sed præterea testarentur, ex nudâ inspectione & lectione Liturgiarum, Apostolorum nomen præferentium, eos, qvi Liturgias ejusmodi ab Apostolis scriptas esse contendunt, de errore suo convinci posse. Ceu speciatim in hanc sententiam *Richardum Simonium* & *Nicolaum de Nourry* producit in Appendice doctissimus antiqvitatis rimator, *Thomas Ittigius.* (50.)

XXIII. Constat itaqve ex antiqvis Liturgiis, commemorationem sanctorum è Diptychis Apostolorum ætate factam esse, nullo modo doceri posse. Nascitur jam novum, depromptum ex ipsis Diptychis argumentum, qvo Romanæ Ecclesiæ doctores commemorationis illius antiqvitatem probare annituntur. Ita *Jacobus Goar* in expositione rituum Græcanicorum: *Primus Diptychorum usus ad usq; Apostolorum tempora vel proximè videtur revocandus.* (51.) Probatqve ex Marci Liturgia & Dionysio Areopagitâ. Liturgia Marci ita habet: *Diaconus τὰ δίπτυχα legit, hoc est, sacras tabulas, qvibus defunctorum catalogus continetur.* (52.) Dionysius verò, qvi Liturgiam magnifico stylo describit: *positis*, inqvit, *in Divino altari veneratione dignis signis, per qvæ Christus etiam significatur & percipitur, sine morâ præsto est catalogus sanctorum, qvi eorum conjunctionem cœlestis atq; sacræ unionis individuæ cum eo declaret.* Non autem ignorare poterat *Goar*, Marci Litur-

(50.) C. XIII. §. V. p. 224. s. (51.) In ann. ad. Euch. p. 143. (52.) Tom. VI. Conc. Bin. p. 26.

Liturgiam à plerisqve, etiam Pontificiorum, ut *Bona* loqvitur, rejici; adeò qvælibet qvasi linea recentiorem spirat ætatem. De Dionysio verò qvamqvam *solos hæreticos Lutheranos & qvosdam sciolos, Erasmum, Vallam & paucos alios dubitare, neutiqvam verò doctos & Catholicos* Bellarminus asseveret, hoc tamen, qvantumcunqve id est, terriculamento efficere non potuit, qvin & post Erasmum, ipsius Bellarmini, si viveret, judicio, docti pariter & Catholici viri, Sixtus Senensis, Thomas Cajetanus, Dion. Petavius, Card. Perronius, Jo. Launoyus, Jacobus Sirmondus, aliiqve, noviſſimè etiam è congregatione S. Mauri Nicolaus Nourrius, Dionysii ῥοβείαν agnoscerent, scriptorumqve ejus originem ad seculum qvintum, divulgationem ad sextum referrent. *Bona* ipse, qvamqvam in utramqve partem de Dionysio disputet, qvilibet tamen ex adductarum rationum pondere animadvertit, ad eos ipsum inclinare, qvi non esse Dionysii Areopagitæ opera, qvæ illi tribuuntur, affirmant; qvinimò diserte: *unus*, ait, *fortasſis fuit Dionysius ex profeſſoribus Platonicæ Philoſophiæ, qvi in ſcholâ Alexandrinâ circa finem qvarti ſeculi vel initio qvinti ſapientiæ laude floruerunt, Chriſti fidem amplexus.* Ad qvam opinionem hoc ipsum inter alia eundem permovit, qvod *ſacrorum rituum pompa & apparatus*, qvali Dionysiana Liturgia superbit, *ſicut ab eo deſcribuntur, naſcenti Eccleſiæ & ſacerdotibus, ſævientium tyrannorum metu ſecretò celebrantibus, non convenirent.* (53.) Ipsorum Diptychorum nomen vix ante qvartum qvintumqve seculum legitur, ut vel ex *Jo. Steph. Duranto* constat, qvi ubi de Diptychorum origine agit, (54.) cum aliâs antiqvitatis testimonia diligentiſſimè conqvirat, præter musteam illam Marci Liturgiam, antiqviores Innocentio, Proclo & aliis inferioris ætatis scriptoribus allegare haud potuit; duravitq; mos iste usqve ad seculum XI. ceu ex Micrologo & Leone Ostiensi

(53.) I. R. L. IIX. §. V.
(54.) Lib. II. de Rit. c. XLIII. p. 602.

ensi probat *Jo. Mabillonius.* (55.) Ut adeò rectè scribat *D. Jo. Andr. Schmidius*, Academiæ hodie Juliæ eximium ornamentum: *Si Diptychorum primam quaras originem, eorundemq; auctorem & inventorem, fatendum sanè erit, nihil in toto hoc negotio hoc ipso magis esse dubium, magisq; incertum.* (56.) Qvamqvam verò ex aliis vel libellis vel catalogis prælecta jam antea fuisse in Ecclesiâ sanctorum nomina haud inficiemur, id tamen primis tribus seculis in ipso Evchariſtiæ actu factum non esse, saltem factum doceri non posse, supra fusè ostendimus.

XXIV. Sed qvid dicendum de eo argumento, qvod cum sanctorum commemoratio in Missarum solennibus omnibus singulisqve reperiatur, manifesto id indicio sit, ritum ab Apostolis profectum esse? Ita colligit *Hugo Menardus*, (57.) ita *Leo Allatius*, qvi ideò addit: *una omnia illa dictavit veritas, unus Spiritus locutus est.* Et jam olim scripserat Augustinus: *qvod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* (58.) Dixerat autem alibi: *non parva est universæ Ecclesiæ, qvæ hac consvetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, qvæ DEO ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.* (*) Dicendum est, plura hodie in omnibus singulisqve Liturgiis comparere, qvam in Petri Missâ, qvæ solâ oratione Dominicâ & recitatione verborum institutionis absolvebatur. Qvæ igitur in hodiernis Liturgiis omnium consensu & conspiratione continentur, non statim esse Apostolis orta clarissimè intelligitur. Cur verò Ecclesia, qvæ longè post Apostolorum ætatem extitit, convenire non potuerit in certam rituum formam, qvâ tamen usi Apostoli non fuerunt? Qvasi verò

(55.) De Lit. Gall. Lib. III. §. 12. p. 183. (56.) Disp. de Dipt. Vet. §. XXI. (57.) Not ad Sacr. Gr. p. 20. (58.) IV. de Bapt. contra Don. c. XXIV. (*) Lib. de curâ pro mort. Conf. Serm. XXXII. de Verb. Ap. XX. de C. D. IX. De S. Virg. c. XCV.

verò in ritibus nihil sit universim receptum, nisi qvod tradidere Apostoli! Qvod universalibus Conciliis placuit, qvodqve illa conditis eam in rem canonibus sanciverunt, id in omnes Ecclesias introductum est & communis ritus consvetudinem obtinuit, etsi Apostolicæ originis haud esset. Nisi dicere velis, ademptam œcumenicis Conciliis libertatem fuisse, qvidpiam in Ecclesiâ disponendi, qvin id jam antea ab Apostolis fuerit determinatum. Qvod qvam absurdum sit, nemo non animadvertit. Præterea & infantum communio in totâ & occidentali & orientali Ecclesiâ per multa secula recepta, conservatio item domestica particularum Evcharisticarum, aliaqve universalis in veteri Ecclesiâ usus fuerant, de qvibus in Conciliis universalibus nihil fuit statutum, qvæ tamen ad Apostolos nec ipsi referunt Pontificii. Demonstravit hoc adversus Baronium *B. Chr. Kortholtus*, qvi ideò concludit: *multas & opiniones & consvetudines ab uno & altero præter primam Apostolorum traditionem exortas, inde initio à pluribus exceptas, paulatim sensimq; ac sine sensu in omnium animos, sive ob auctorum famam, sive ob veritatis vel utilitatis speciem irrepsisse & totius tandem Ecclesiæ communes factas esse, nullo etiam præeunte Concilio.* (59.) Non latuit hoc *Allatium*, qvare ut universalis rituum receptio indicium fieret Apostolicæ originis, conferri jubet ad universalitatem probandam Liturgias Clementis, Petri, Marci, Jacobi, Dionysii Areopagitæ, Basilii & Chrysostomi. Non poterat nominare Liturgias, qvarto qvintoq; seculo antiqviores, præter dubias istas, incertas, corruptas plerorumqve Pontificiorum judicio, verè autem confictas & adulterinas. Præter *Fr. Turrianum*, qvi. Card. *Perronii* suffragio *inter omnes hodierni temporis scriptores pessimè de rebus judicat*, nemo Romanarum partium est, qvi Clementinis Constitutionibus fidere audeat. Omnes vel dubitant vel rem in medio relinqvunt, vel additionibus detractionibusqve miserè depravatas

(59.) Ex. Anti-Bar. II. §. XII.

tas esse conqveruntur. Qvamqve ab Apostolicæ doctrinæ sinceritate illæ, qvantumvis Apostolicarum constitutionum titulum mentientes, ubiqve abludant, nemo fusius ex Reformatis, qvam *J. H. Ottius* demonstravit. (60.) Ab illis verò Liturgiis Pseud Apostolicis ad Basilii & Chrysostomi Liturgias, non minus, qvam illæ sunt, dubias & corruptas, saltus est qvatuor & qvinqve seculorum: qvo tempore sanctorum commemorationibus Liturgias plerasqve repletas fuisse, nemo est, qvi ambigere possit.

XXV. Testantur tamen, inqvies, gravissimi scriptores, morem commemorandi in sacrificio sanctos inde ab ipsis Apostolis ad nos dimanasse. Testatur id *Jo. Damascenus*, in fronte orationis: *qvod, qvi in fide hinc migrarunt, sacris operationibus & vivorum beneficiis multum juventur.* Ita enim ille: *Divini Apostoli, discipuli Salvatoris, qvi totum mundi circulum vivum cepere, prædicando verbum, qvod suis oculis viderant, in tremendis & impollutis vitalibusqve sacramentis, memoriam eorum, qvi fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Qvod adhuc firmiter atq; adeò sine contradictione observat Apostolica & Catholica Ecclesia Christi & DEI, à finibus terræ usq; ad fines terræ, ab eoq; tempore usq; in præsens & in finem mundi usq;.* Nec minus idem ante Damascenum testatur *Isidorus Hispalensis*, hunc in finem à *Jo. Steph. Durantо* adductus, qvi, *sacrificium*, inqvit, *pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro eis orare*, (qvod sine illorum commemoratione fieri non poterat) *qvia per totum orbem custoditur, credimus, qvod ab ipsis Apostolis traditum sit.* Immò ante Isidorum Chrysostomus: *non temerè*, inqviens, *ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* (61.) Qvare & nominationem inter Missarum solennia *antiqvæ consvetudinis* nomine insignit *Gregorius*

(60.) Cent. II. Ex. Bar. ad ann. 102. §. 22. f. (61) Hom. LXIX. ad Pop. Antioch. qvod iisdem verbis repetitur Serm. III. ad Philipp.

gorius Magnus. (62.) Enimverò qvem antea laudavimus, *D. Chriſt. Kortholtus* Baronio, ſimilia teſtimonia in argumento de ſuffragiis pro defunctis adferenti, opponit, (63.) recentiorem auctorem eſſe *Damaſcenum*, qvam ut de rebus antiqvis tuto illi poſſit credi & de qvo ipſe Baronius judicet: *fidem ejus in multis vacillare & compluribus ſcatere mendaciis cognoſci.* Nec inſolens eſſe, qvod patres etiam antiqviores, aliqvâ veri ſpecie decepti & per imprudentiam Apoſtolis tribuant, qvæ ab iisdem minimè ducant originem. Nam *Epiphanium* ſynaxes, qvæ non Dominicâ ſolum, ſed qvartâ inſuper ſextâqve feriâ in Eccleſiâ peragantur, ab Apoſtolis eſſe tradidiſſe, qvod tamen falſum eſſe diſertè profiteatur *Dion. Petavius.* Sic & *Dionyſium* illum, creditum Areopagitam, parvulorum communionem Apoſtolis imputare, qvam ab iisdem auctoribus non eſſe fateantur hodie Pontificii omnes. Ego verò jam ſupra argumentationis hujus vanitatem exemplo longè illuſtriori, qvod *Irenæus* mihi ſuppeditavit, adeò clarè ob oculos poſui, ut eâ de re ne dubitari qvidem amplius poſſit. (64.) Qvis unqvam fuit, vel Catholicorum vel ſectariorum, aut hodienum eſt, qvi doctrinæ ſuæ ortum non ad Scripturam referat? An ideò doctrina ejus Scripturæ conformis erit? Planè ad eundem modum jam olim *Hieronymus* innuit, qvamlibet provinciam ritus ſui, qvantumlibet ab aliis, auctoritatem Apoſtolicam pariter jactantibus, diverſi, originem ad Apoſtolos reducere. (65.) Qvam perſvaſionem, utut inanem, in ritibus Eccleſiaſticis non reprehendendam autumat, ſed ſeqvendam. Ne de eo qvidqvam dicamus, qvod Damaſceni ſermonem *Bellarmini* judicio, (66.) *Damaſceni non eſſe facile probari poſſit*, ut jam olim obſervavit *R. Cocus*; *Gregorius* verò *Magnus* non abſolutè dicat, morem nominandi defunctos inter Miſſarum ſolennia antiqvum, ſeu antiqvæ conſvetudi-

(62.) Lib. III. Ep. XXXVII. (63.) Ib. §. XIII. (64.) §. V. (65). Epiſt. ad Lucin. p. 194. (66.) II. de Purg. IIX. §. Prima.

nis esse, (qvamqvam jam ipsius ætate per trecentos prope annos eundem durasse, adeoqve antiqvum eo tempore fuisse non negemus) sed id unum Gregorio Constantio, Mediolanensi Episcopo, rescribat, ut si antiqvi moris in Ecclesiâ Brixiensi fuerit, aliorum Episcoporum nomina inter Missarum solennitates recitare, reprehendi non possit, si & Joannes Ravennatensis Episcopus ad altare ipsorum commémoretur. Ex qvo consequitur, morem illum, aliorum locorum Episcopos inter sacra nominandi, tum non ubiqve fuisse receptum. Qvod si de recitatione sanctorum ex Diptychis loqveretur *Gregorius*, pronum esset colligere, consvetudinem illam non ubivis locorum viguisse, adeoqve adversariorum causam destrueret potius, qvam juvaret.

XXVI. Progredimur ad Assertionem qvintam, qvæ hæc est: *qvarto & seqventibus seculis, qvemadmodum cultus sanctorum intra breve temporis spatium in immensum creverit, ita commemorationem qvoq; sanctorum Missarum solennibus ubiqve insertam fuisse, non esse improbabile.* Res vel ex iis horum seculorum scriptoribus, qvos in superioribus passim adduximus, Cyrillo Hierosolymitano, Epiphanio, Chrysostomo, Proclo & Augustino, perqvam verosimilis redditur. Id saltem moverit scrupulum, qvî *B. Platina* scribere potuerit: *nuda primò* Missarum solennia *fuisse & omnia simpliciter tractata. Petrum enim ubi consecraverat, oratione: pater noster, usum esse. Auxisse hæc mysteria alios. Mortuorum commemorationem Pelagium invenisse.* (67.) Vixit autem Pelagius seculo sexto. Adduxit hunc ex *Platinâ* locum in Confessione Catholicâ ad comprobandam hujus instituti originem *D. Gerhardus* noster. (68.) Verum contra tam apertam lucem, *Platinæ*, hominis hesterni, auctoritas nihil valere poterit. Nimis ante Pelagium multi, Chrysostomus inprimis & Augustinus, testes omni exceptione majores, hujus ritus, tanqvam in Ecclesiâ Christi recepti, mentionem faciunt.

(76.) In Xysto I. p. 18. (68.) Lib. II. Part. II. art. XV. c. I. p. 1217.

ciunt. Nisi forte Pelagius omissum alicubi, facto in occidentali Ecclesiâ decreto, restituit, eiqve addidit pondus. Nam & *in vetustioribus Missalibus MSCis preces pro defunctis*, (qvarum tamen & Apostolicam antiqvitatem & universalem in omnibus Ecclesiis receptionem non minus Pontificii, qvam commemorationem sanctorum, similia antiqvorum testimonia allegantes, ubiqve jactant) *non inveniri, qvod in Germaniæ & Helvetiæ Ecclesiis & monasteriis comprobatum sit*, testatur idem magni nominis Theologus, *D. Gerhardus.* (69.)

XXVII. Subjicimus Assertionem sextam: *qvum primum Missalibus Collectis sanctorum commemoratio insereretur, sola eorum nomina, cum voto, sine sanctorum vel compellatione, vel invocatione, recitata fuisse.* Repetendum huc est, qvod jam supra fusè probatum à nobis est, primam sanctorum commemorationem in Ecclesiâ qvidem, durante sacro cultu, sed non intra sacrificii solennia, factam, traductam tamen postea esse in Collectas, in ipso sacrorum officio recitari solitas. Manifestum hoc est inde, qvod in secundo tertioqve seculo memoria qvidem sanctorum certis diebus sit celebrata, at sacrificii nulla fiat mentio, immò *Innocentius*, supra à nobis adductus & notatus, (70.) non obscurè innuat, talem temporis demum successu translationem factam esse. Qvalis itaqve nominum recitatio extra Eucharistiam antiqvitus fuerat, talem dein in ipsas Liturgias primitus illatam fuisse ultrò intelligitur. Illa autem non alia fuerat, qvam ut allatis demortuorum loco muneribus eorum nomina, ut in communione eos Ecclesiæ decessisse cunctis patefieret, coram toto cœtu exprimerentur, eum etiam in finem, ut obtentam iis de morte victoriam & gaudia cœlestia gratularentur, simulqve aliis exemplum defunctus sisteretur, vel glorioſam mortem, si martyr fuisset, oppetendi, vel fidem virtutesqve demortui consectandi. Ita Smyrnenses mortem Polycarpi celebrant, *tum in memoriam eorum, qui glorioſo*

(69.) Ib. p. 1220. (70.) §. X. & XII.

rioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos. (71.) Ita Tertullianus de uxoribus demortuis nihil aliud dicit, nisi, qvod oratione commemorentur, qvod comemorentur per sacerdotem, qvod pro eorum spiritu postuletur. (72.) Eo nempe modo, qvo adhuc hodie in Romano canone, qvod & similib. ferè verbis in Lutheranorum Ecclesiis usu obtinet, postulatur: *Ipsis, Domine, & omnibus in Christo qvieſcentibus*, (adeoqve & in ipsâ jam existentibus gloriâ) *locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur.* Ita Origenaster: *memorias sanctorum facimus, tam illorum refrigerio gaudentes, qvam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.* (73.) Ita Cyprianus, qvi non nisi memoriæ & commemorationis meminit; & qvamqvam id alicubi exponit per: *deprecationem nomine alicujus in Ecclesiâ frequentare*, (74.) per id tamen nihil aliud qvam votum illud intelligit, qvod Latina adhuc hodie Ecclesia retinet, qvodqve etiamnum in Evangelicâ Lutheranorum Ecclesiâ in usu est qvotidiano.

XXIIX. Jam si Missæ illæ, qvæ Apostolicorum nomen præferunt, genuinæ sunt, qvod tam acriter plurimi Pontificiorum contendunt, nihil primo seculo præter nudam commemorationem, adjectis memorationis causis, utpote sanctorum communione & imitatione virtutum, votoqve pro beatâ reqvie, in Liturgiis comparuit. In Marci Liturgiâ lectis Diptychis ita oratur: *& horum omnium animabus dona reqviem, Dominator, Domine DEus noster, in sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiens eis promissionum tuarum bona. Da nobis, ut partem & hæreditatem habeamus cum omnibus sanctis tuis.* Apostolorum Liturgia in Constitutionibus Apostolicis: *sanctorum martyrum memoriam colamus, ut digni efficiamur certaminis ipsorum.* Jacobi qvidem Liturgia, qvæ plura, qvam cæteræ omnes, recentis ætatis indicia

(71.) Euseb. IV. H. E. XV. (72.) Exh. ad Cast. VII. p. 564. (73.) Comm. in Hiob. f. f. (74.) Ep. I. juxta ord. Anglic.

cia habet, bis sanctos commemorat, secundoqve loco addit: *ut precibus atq; intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur*; qvalia de sanctis prædicata in primis seculis nunqvam comparent, hoc ipsum tamen nec compellationis, nec invocationis speciem habere in confesso est. DEO enim in memoriam revocat sanctorum, tanqvam intimorum suorum amicorum, fusas in cœlo pro Ecclesiâ militante orationes, qvarum intuitu faciliorem exauditionem sperat. Qvæ commemoratio perinde reprehendi neqvit, ac cum plurimorum liberorum pater, letali morbo decumbens, cum & lacrymarum imbres & flagrantissimarum precum devotionem, qvibus parentem, ipsis necessarium, revocare qvasi in vitam & postliminiò sibi asserere liberi annituntur, suas & ipse addit preces, rogatqve DEum, ut has filiorum suorum preces propitio oculo respiciat, protrahatqve sibi eorum causâ vitam. Hanc enim vim conjunctam DEO gratam esse novit, ceu olim dixit *Tertullianus*. Clarius hanc mentem *Basilius* in Liturgiâ exponit, cujus, qvamqvam longiora, sunt verba: *dignare etiam eorum nos meminisse, qvi inde à seculo placuerunt tibi, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum ------ & si in loca illa glorioſa ---- nos receperis, fac, ut simus illorum consortes. Cumq; misericordiam tuam laudabilissimam & amorem tuum erga genus humanum imitantes, assiduas preces atq; obsecrationes pro nobis tibi offerant, eoq; memoriam illorum celebremus, ut qvando nobis ipsis parum fidimus, memoriâ & legatione illorum protecti, per eos audeamus ad Te accedere atq; hoc tremendo munere defungi.* Postrema tamen hæc verba ex genio seculi plus ex intercessione illâ sanctorum generali inferunt, qvam par est & Scriptura vel sana etiam ratio admittit. Sed & illa Liturgia, qvæ *Dionysio Areopagitæ* adscribitur, solam habet sanctorum recitationem, recitationisqve annectit causam: *ut significetur*, inqvit, *individua ipsorum conjunctio & sacratissima unio cum Christo.*

XXIX. Ejus rei vestigia in hodiernis qvoqve Litur-

giis, qvamqvam innumerâ novitatum farragine interpolatis, subinde conspiciuntur. Qvoties nempe Collectæ vel sanctorum solummodo faciunt mentionem, vel DEO pro beatitudine ipsorum gratias agunt, vel communionem eorum cum viventibus prædicant, vel deniqve exemplum illorum ad imitationem ob oculos ponunt. In festo Protomartyris Stephani Missale Romanum: *Da nobis, quæsumus Domine, imitari, quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare.* In festo S. Barbaræ virginis: *DEus, qvi inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut qui B. Barbaræ virginis & martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur.* In festo B. Luciæ: *Exaudi nos DEus salutaris noster, ut sicut de B. Luciæ virginis & martyris tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu.* In festo Hermenegildis: *DEus, qvi Hermonegiltim martyrem tuum cœlesti regno terrenum postponere docuisti; da qvæsumus nobis ejus exemplo caduca despicere atq; æterna sectari.* In veteri Missali Gallicano festo S. Germani: *venerabilem diem atq; sublimem promptâ devotione celebremus, misericordiam Domini nostri supppliciter exorantes, ut beatissimi Germani, antistitis & confessoris sui, cujus exempla miramur, etsi æquari factis ejus non possumus, saltem vestigia sequi & fidem nobis contingat imitari.* In Missali Gothico, natali Sinfuriani: *sacratam mysteriis cœlestibus diem ad officium devotionis nostræ solemnitatis ingressi, laudemus Dominum in sanctis suis, eumq; in beatissimi Sinfuriani martyris honore veneremur, agentes ei gratias pro triumphis ejus & gloriâ: quem adversus corporis infirmitatem pœnarumq; sævitiam spiritus fortitudine dimicantem spei viribus roboravit, muro credulitatis incluſit, successuq; victoriæ ad præmia immortalitatis invexit. Oremus quoq;, ut nos in hoc seculo, etsi non pari agone certantibus, similis fortitudo non desinat: & sicut illum exhortatio piæ matris extulit ad peragendam certami-*

nis

nis hujus victoriam: ita nos catholicæ fides Ecclesiæ, inreprehensibiliter custodita, perducat ad veniam, provehat ad coronam. In Libro Sacramentorum S. Gregorii, die Joannis Evangelistæ: *Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut B. Joannis Evangelistæ illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna.* Ibidem in Vigilia Virginum: *Quæsumus, omnipotens DEUS, ut quorum nos tribuis communicare memoriis, eorum facias veraciter imitatores.* In ordinario Latinæ Missæ canone: *Nobis quoq; peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & martyribus* (qvorum nomina recitantur) *& omnibus sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.* Nec etiam *Epiphanius* eo loco, ubi contra Aerium, mortuorum memoriam in Diptychis calumniantem, disputat & recitationem nominum defendit, aliam hujus ritus causam recenset, qvam qvod, qvi adsint, audiantqve nomina, *certissimè sibi persuadeant, mortuos vivere, nec in nihilum redactos esse, sed existere adhuc atq; apud Dominum vivere*; qvodqve *qui pro fratribus precantur, benè de illis sperare constet, quasi peregrè profectis.* Præcipuè qvod martyres aliosqve spectat, memoriæ finem hunc solum constituit, *ut Dominum JEsum Christum singulari quodam honore prosequentes ab cæterorum hominum ordine segregemus, debitumq; cultum illius majestati tribuamus, dum illud cum animo nostro reputamus, non esse Dominum cum ullis mortalibus adæquandum, quamvis singuli millecuplâ quadam, aut etiam ampliori justitiâ præditi sint.* (75.) Et compellationis martyrum & invocationis & meritorum & patrocinii & intercessionis, eo loco, ubi has utilitates è re maximè fuisset commemorare, prorsus obliviscitur.

XXX. Jungimus his Assertionem septimam: *subinde nudæ sanctorum commemorationi, eorundem vitæ passionumq; histo-*

(75.) Hær. LXXV. §. VII.

historias, laudesq; antea extra Missalium solennia recitatas, in ipsis Collectis Missalibus accessisse. Nempe eo die, qvo cujuslibet sancti memoria agebatur, in Liturgiis additum est nomen sancti: ἁγίου τοῦδε, ὃ καὶ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν, *sancti illius, cujus etiam memoriam agimus.* Qvod cum & Latini imitarentur, ne oriretur in Liturgiis dissonantia, à Gregorio III. Papâ ad hanc verborum formam adstrictum est: *qvorum solennitas hodie in conspectu majestatis tuæ celebratur, Domine Dominus noster, in toto orbe terrarum.* Notat hoc ad Gregorii Sacramentarium *H. Menardus.* (76.) Sed postea passionum historia & qvidem initiò, ceu ad Liturgiam Gallicanam ex Hilduini Epistolâ ad Ludovicum Augustum, Areopagiticis præfixâ, observat *Jo. Mabillonius,* (77.) succinctè prælectæ accedebant, donec tandem integra acta qvandoq; legerentur, qvod probat exemplo libelli, à Braulione Cæsaraugustano Episcopo de gestis B. Æmiliani Abbatis ideò conscripti, *ut posset in Missæ ejus celebratione qvantocius legi,* ut Braulius ipse in præfatione suâ loqvatur. In hodiernis qvoqve Missalibus non parum de historiâ vitæ virtutumqve ejus sancti, cujus celebratur memoria, interseritur. Ita vetus Missale Gallicanum die S. Germani Episcopi: *Gratias tibi agimus, omnipotens DEus, pro virtutibus beatissimi Germani, Antistitis tui, qvæs ei Pater omnipotens non immeritò tribuisti, qvia te Apostolicâ confessione rebus omnibus plus amavit. Discussit à se divitias, ut paupertate spiritus cœlorum regna conscenderet. Mansvetudinem tenuit, ut terram sui corporis spiritaliter possideret. Lugere delectatus est in seculo, ut cœlestem consolationem ex muneris tui largitate perciperet. Justitiam esurivit atq; sitivit, ut tuis saturaretur eloqviis. Eleemosynam jugiter fecit, ut indesinenter non tantum sibi, sed & cæteris pietatis tuæ misericordiam obtineret. Puritatem cordis habuit, ut te videret. Fidem servavit, ut filiis tuis fraterna se participatione conjungeret.* Ita Missale Romanum in festo S. Henrici Imperatoris: *DEus, qvi hodiernâ*

(76.) P. 15. (77.) Lib. I. c. III. §. 8. p. 20.

hodiernâ die beatum Henricum, confessorem tuum, è terreni culmine imperii ad regnum æternum transtulisti, te supplices exoramus, ut sicut illum gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras seculi superare fecisti, ita nos facias ejus imitatione mundi hujus blandimenta vitare & ad te puris mentibus pervenire. In Missali Gothico die S. Laurentii: *Verè dignum & justum est, omnipotens sempiterne DEus, tibi in tanti martyris Laurentii festo laudis hostias immolare, qui hostiam viventem hodie in ipsius Levitæ tui, B. Laurentii martyris, ministerio per florem casti corporis accepisti. Cujus vocem per hymnidicum modulamen Psalmi audivimus, canentis atq; dicentis: probasti cor meum, DEus, & visitasti nocte, id est, in tenebris seculi, igne me examinasti & non est inventa in me iniquitas. O gloriosa certaminis virtus! O inconcussa constantia confitentis! Stridunt membra viventia super craticulam imposita & prunis sævientibus anhelantes incensum suum in modum thymiamatis Divinis naribus exhibent odorem. Dicit enim martyr ipse cum Paulo: Christi bonus odor sumus DEO. Non enim cogitabat, quomodo in terrâ positus à passionis periculo liberaretur, sed quomodo inter martyres in cœlis coronaretur.* Plurimæ id genus Collectæ passim occurrunt. Qvas verò recentioris ætatis esse, nec antiqvitatem sapere, ipsum *Menardum* paulò ante audivimus confitentem.

XXXI. Ad ultimum tandem devenimus Assertum, qvod hoc est: *nullibi in totâ antiqvitate legi, S. Eucharistiam vel in memoriam, vel in commemorationem sanctorum unqvam celebratam fuisse, nec id ex ullo antiqvorum vel dicto vel facto legitimè colligi posse.* Id amplissimè patet ex totâ hac disputatione. Si enim in primâ omnium, factâ sive à Christo, sive ejus exemplo ab Apostolis, sive deniqve à trium primorum seculorum sacerdotibus, S. Eucharistiæ celebratione, ne nominati qvidem sunt sancti & qvando qvarto atqve insequentibus seculis recitari eorum nomina intra Missarum solennia ceperunt, iis ex causis nominatio ista hæc facta est, qvæ

fines omnes alios, pios & honestos, potius qvam sanctorum memoriam respexerunt, donec serò sanctorum laudes in Liturgias irreperent, ultrò consequitur, ignotam toti antiqvitati esse Eucharistiam in memoriam vel commemorationem sanctorum celebratam. Et qvidem in universâ antiqvitate illam loqvendi formam: in memoriam vel commemorationem sanctorum Eucharistiam celebrare, haud unqvam legi tamdiu verum erit, donec unicum adversarii locum produxerint, qvo fidem affirmationi suæ faciant. Qvod verò poterunt nunqvam.

XXXII. Nec etiam vel ex verbis veterum Liturgiarum vel ex præscriptis in iisdem actionibus talis vel res vel loqvendi ratio ullo modo seqvitur. Qvid enim istud consequentiæ est: in orationibus, Missæ officio innexis, qvarto & seqventibus seculis sanctorum mentio & qvidem cum laude præstitæ ab ipsis in fide adversus sæviſſimos cruciatus constantiæ facta est; ergò Missæ in memoriam sanctorum celebratæ sunt? Ergone nullæ res in Missæ officio nominari cum laude possunt, nisi in earum memoriam Missa celebretur? Qvo pacto in simili, si qvis in Homiliâ Ecclesiasticâ Aristidem à justitiâ laudet, asseveretqve per eundem multos Christianos dari in ruborem, in Aristidis memoriam habitam concionem esse affirmare necesse habebit. Aut qvia in eodem Missæ officio DEO gratiæ aguntur pro aëris salubritate, pro fertilitate telluris, pro restitutâ valetudine, in horum omnium memoriam Missa peracta erit? Qvinimò planè hinc seqvetur contrarium: in Missâ veteres nomina tantum sanctorum nuncuparunt, aut DEO pro eorundem victoriis, sangvinis Christi virtute partis, gratias egerunt, aut eosdem in exemplum virtutum, patientiæ & constantiæ allegarunt: ergo sacrificium in eorum memoriam non celebrarunt. Nam sacrificium in alterius honorem celebrare plus infert, qvam nudos illos, modo recensitos, actus obire. Qvemadmodum jam alibi monuimus, ad id, ut vel monumentum

mentum in honorem Cæsaris erigatur, vel ponatur statua, vel sermo panegyricus recitetur, non sufficere, ut Cæsaris qvaliscunqve in his actibus injiciatur mentio, ut gratiæ agantur exercitui, qvod fortiter pro Cæsare pugnaverit, ut Cæsar qvasi aliud agendo allegetur tantum ut exemplum, qvod seqvi cæteris conveniat, interea totius celebritatis gloria in alium, Cæsare longè majorem, conferatur: sed reqviritur, ut directè universa in Cæsaris honorem tendant, reliqvi verò, qvorum ex accidenti memoranda sunt nomina, ne qvidem in ullam cum ipso veniant comparationem. At verò in Missis veterum, omnia contrario modo sese habuisse, adeò luculentum est, ut nec nitidius ipsum solis lumen, cum in meridio sudum est, lucere possit. Si dixerint Pontificii: se Missas in memoriam sanctorum cum Ecclesiâ haud aliter intellectas velle, qvam in qvibus peculiaris fiat sanctorum commemoratio, neqve Ecclesiæ abjudicari posse jus, vocibus suis, qvæ ideò Ecclesiasticæ dicantur, singulare significatum imponendi, ut in infinitis vocibus factum esse clarissima experientia testetur; tum audiant necesse est: hoc unum qværi, an hæc loqvendi ratio ex antiqvâ Ecclesiâ derivari possit? Nam in hodiernâ Romanâ Ecclesiâ eandem obtinere, hancqve eoipso veteris Romanæ vestigiis non insistere, ultrò conceditur. Præterea hæc loqvendi forma à significato, ei à recentiori Ecclesiâ impresso, suâ indole aliena est & ad deceptionem audientis atqve legentis comparata, qvi, cum audit, Missas in memoriam sanctorum celebrari, aliud qvid concipere haud potest, qvam easdem sanctis ipsis celebrari, qvod grande piaculum est, ut alibi clarissimè demonstravimus. Ne de eo qvidqvam dicamus, qvod Pontificii Missis in honorem atqve memoriam sanctorum celebratis longè plura, qvam nudam sanctorum memoriam involvant, ceu suo loco fusius ostendetur.

XXXIII. Qvod si dixeris, in veterum Missis saltem hanc

hanc occurrere formulam: *pro commemoratione offerre*, qvod idem sit, ac in memoriam vel ad commemorationem sanctorum Missam celebrare; tum respondebitur, jam freqventer ostensum esse, qvoties apud veteres dicitur pro commemoratione hujus vel illius sancti offerri, oblationem intelligi munerum, non sacrificialem. Hæc enim qvia pro demortuis vel loco demortuorum offerebantur, eorum refricabatur per illa memoria. Adeò ex ipsis Missalibus libris, utut à vetustatis more in pluribus recedentibus, evidens hoc est, ut vel obiter inspecti ejus rei fidem faciant. Ita in Rom. Missali festo S. Hilarionis: *Pro commemoratione S. Ursulæ & sociarum, secreta. Intende qvæsumus, Domine, munera, altaribus tuis pro sanctarum virginum & martyrum tuarum, Ursulæ & sociarum ejus, festivitate proposita.* In Sacramentario Gregorii, Natali S. Eusebii, Sacerdotis: *Super oblata. Laudis tuæ, Domine, immolamus hostias, in tuorum commemoratione sanctorum, qvibus nos & præsentibus exui malis confidimus & futuris.* Qvod antea munera vocaverat, jam oblata vocat & hostias immolatas. Iterum Natali S. Stephani: *Super oblata. Suscipe, Domine, munera pro tuorum commemoratione sanctorum, ut sicut illos passio glorioſos, ita nos devotio reddat innocuos.* Qvod si munerum pro sanctis oblatio eorumqve ad munerum oblationem recitatio facit, ut ipsa Eucharistia in sanctorum memoriam & honorem celebrata esse dicatur, nihil causæ est, qvin & ob eandem donorum oblationem, nominationemqve personarum offerentium dicatur Missa celebrata in memoriam & honorem vivorum. Qvod tamen dicere refugiunt Romani.

XXXIV. Ex qvibus omnibus tandem concludo: à commemoratione sanctorum, in Ecclesiâ publicè factâ, ad originem Missarum in memoriam sanctorum celebratarum, itemqve à commemoratione sanctorum in Collectis sacrificialibus factâ, ad Missas in memoriam sanctorum celebratas, illegitimam esse conseqventiam.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0054
DFG

COROLLARIA.

(1.) *Missæ & nomen & rem retinent Ecclesiæ Catholicæ, quæ Augustanam Confessionem profitentur. Art. III. A. C. & in Apol. init.*

(2.) *Ea Missa, in qva fit oblatio pro qvotidianis delictis, prodestq; ex opere operato, omni caret Scripturæ fundamento. Ibid.*

(3.) *Pati tamen possumus, ut Missa nominetur Sacrificium, si intelligatur tota ceremonia, cum precationibus annexis. Apol. A. C. p. 269.*

(4.) *In S. Eucharistia ex instituto Divino non repræsentatur mors & immolatio Christi.*

(5.) *Missa Sacrificium passim â veteribus dicta est bono sensu, eoq; & adhuc bodie dici nihil impedit.*

(6.) *Veteres loqvuntur de Oblatione & Oratione pro mortuis, qvam nos non prohibemus. Ap. A. C. p. 274. Nam & gratiarum actiones pro mortuis, eorumq; beatâ analysi, apud nos qvotidiè usitatæ, species sunt precum.*

IN Te laudanda est cura indefessa, laborqve,
Qveis colis ingenii nobilioris opes;
GUTZMERE, ô dilecte DEO! dilecte Patriqve,
Nec minus & nostræ portio chara scholæ,
Qvamqve semel calcas, studiorum tramite recto
Incedens, nisu perpete curre via.
Exemplumqve domi, virtutes nempe PARENTIS,
Qvi cœtus sacri dux columenqve cluet,
Sectëris, varias dotes & passibus æqves,
Postremò superes, si superare qveâs.
Haud Patris invidiæ victoria tanta pateret,
Qvin Tibi, qvinqve Patri laus ea grata foret.
Sic certi patriam fructus, Patremqve manebunt,
Amplaqve gaudendi surget utriqve seges.
Omnia qvando suo disponet tempore pro Te,
Qvæ vigilat, summi provida curam DEI

Nobiliss. Florentissimoq; Dn. RESPOND. ad præclara qvæq; concitato cursu gradienti, calidissimo voto gratulatur

PRÆSES.

TU, GUTZMERE, ſubis magnum & laudabile munus,
Profers doctrinæ primitiasqve tuæ.
Gratulor, ut cedant in veſtram cuncta ſalutem,
Numinis in laudem, lætitiamqve Patris.

Ad teſtand. affectum benevolum erga Clariſſ. Domic.
RESPOND. Affinem ſ. colendum,
grat. app.

J. N. QVISTORP, D.
P. P. & ad Div. Nicol. Paſt.

* * *

MONOGRAMMA EUCHARISTICUM.

* * *

GAUDE. GENITOR. GENIALITER.
GAMALIEL. GIGNIT. GUTZMERUM.
GNATI. GENEROSUM. GENIUM.
GENTEMQ: GUTZMERIANAM.
ΓΛΑΥΚΩΠΙΣ. GERMANA. GENUIT.
GRANDIS. GLISCIT. GLORIA.
GRATIÆ. GRATANTUR. GRATIIS.
GEMMASCIT. GRAVE. GELU.
GERMINAT. GRANUM. GNAVITER.
GUSTATO. GAUDII. GUSTULUM.
GREMIUMQ: GERAT. GAZAS.
GENTILITIUM. GUTZMERO. GRATULOR.
GALERUM.
GAUDE. GENITOR. GAUDE.

* * *

Votivam hanc Tabulam, ad Mnemoſynes Aram ſuſpendit & *Venerando Domino Parenti*, de optimo Filio, huic vero συνόικῳ ſuo ſvaviſſimo, de laudatiſſ. ſtudiorum profectibus M. M. Q. gratulatur

J. LINDEMANN. D.
P. P. FCtis ſuæ h. t.
DECANUS.

Dij

Die Tugend führet solchen Zunder/
Der himmlische Gemüther regt.
So ist es/ Werthster/ wol kein Wunder/
Wenn eine Gluth zusammen schlägt/
Und sein begabter Geist
Die Lichte Strahlen weist.
Der Himmel segne dieß Beginnen/
Wodurch ER der gelehrten Welt
Zeigt seine reich-beseelte Sinnen/
Auch selbst den Musen wolgefällt.
Es krönne sein Gelück
Das gütige Geschick.
Und solten wir bedienen können
JHM künfftig in den Ehren-Grad;
So wird ER uns das Glücke gönnen/
Daß wir erweisen in der That:
Wie unser Recht und Pflicht
Bey JHM sey straffbar nicht.

Diese schlechte Zeilen wolten zu Bezeugung ihrer schuldigen gratulation ihrem werthgeschätzten **Freunde** und **Tischgenossen** beyfügen

Sr. Excell. Hn. D. Lindemanns

Tisch-Genossen.

ESto aliis curæ pretiosas qværere Gazas,
Invigilent alii nocte dieqvè Tago;
Nil stabile est in eis, has nunqvam, Phœbe, vigentes
Usqvè sed infaustâ sorte perire vides.
Tu Tibi thesauros studio curaqvè paratos,
Qvi nunqvam pereunt, *candide Amice*, tenes.
Patria Te virtus & propria jugiter ornat,
Id specimen clarum comprobat hocce Tuum.
Gratulor auspicium, faxit *DEus Optimus* inde,
Qvo tandem valeas *Patrio honore* frui.

Hæc pauca doctissimo Domino RESPOND. *Amico suavissimo ac suo Populari integerrimo, in publica cathedra eruditionis specimen edenti, benevolum suum affectum contestaturus prop. cal. apponebat*

GEORG, LAURENT. DOBBERTHIN,
SS. Theologiæ Studiosus.

DE Missâ faciens jam scandis, *Amice*, cathedram
Ingenii Specimen das qvoqve, verba, Tui.
Ergo *Tibi* tantô de cœptô gratulor ausu,
Apprecor ex animo prospera cuncta *Tibi*.

Paucissimis hisce lineolis Nobilissimo Domino RESPONDENTI, Fautori ac Amico suo perquam dilecto, gratulari voluit, debuit

T. H. Breyer / Grub-Holst.
SS. Theol. Stud.

INgenii vis alta *Tui*, GUTZMERE, paternæ
Æmula virtutis, conspicienda datur;
Dum Cathedram scandens tricas technasqve resolvis
Missæ. Jam poteris condecorare genus.
Sic dextrè nunc servat opus, sic masculus instat,
Militet in studiis ne minus, *Ipse*, Patre.
Hoc niti splendore decet famamqve tueri,
Qvas non ulla dies depopulatur opes.
Qvin *Tu Ratzburgi* lumen columenqve futurus,
Si sua virtuti præmia servat honos.

Ita Clarissimo Domino RESPONDENTI, Amico suo è paucis dilecto, gratulante animo accinere voluit, debuit

JOH. CHRIST. RATKE, Wittenb. Meckl.
SS. Theol. Stud.

GÖnnet doch ihr Schaar der Weisen / daß ein Geist von schwachen Sinnen /
Unter euch sich finden lässet / und ein schuldiges Beginnen /
Zu eröffnen sich entäussert. Es verbindet mich die Liebe /
Meines Lieben Freundes Güte / daß ich Ihm zu seinem Triebe
Einen Glück-Wunsch muß bereiten / drumb ich Ihn mit Glück begrüsse /
Reiffe Künste außzuüben / und zu sehn des Glückes Güsse.

Durch dieses geringe Andencken hat sein affectionirtes Gemüht offeriren wollen

C. H. Butzmer.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0062
DFG

hodiernâ die beatum Henricum, confessorem t …*eni cul-*
mine imperii ad regnum æternum transtuliſ …*es exo-*
ramus, ut ſicut illum gratiæ tuæ ubertate præ …*ecebras*
ſeculi ſuperare feciſti, ita nos facias ejus imi …*di hu-*
jus blandimenta vitare & ad te puris menti …*e.* In
Miſſali Gothico die S. Laurentii: *Verè di* …*um eſt,*
omnipotens ſempiterne DEus, tibi in tanti …*urentii*
feſto laudis hoſtias immolare, qui hoſtiam v …*ie in i-*
pſius Levitæ tui, B. Laurentii martyris, m …*florem*
caſti corporis accepiſti. Cujus vocem per hy …*odula-*
men Pſalmi audivimus, canentis atq; dicent …*or me-*
um, DEus, & viſitaſti nocte, id eſt, in tene …*gne me*
examinaſti & non eſt inventa in me iniquita …*ſa cer-*
taminis virtus! O inconcuſſa conſtantia co …*tridunt*
membra viventia ſuper craticulam impoſita …*vienti-*
bus anhelantes incenſum ſuum in modum t …*Divinis*
naribus exhibent odorem. Dicit enim mar …*Paulo:*
Chriſti bonus odor ſumus DEO. Non enim …*uomodo*
in terrâ poſitus à paſſionis periculo liberaretu …*odo in-*
ter martyres in cœlis coronaretur. Plurim …Colle-
ctæ paſſim occurrunt. Qvas verò rece …*tiſeſſe,*
nec antiqvitatem ſapere, ipſum *Menard* …*nte au-*
divimus confitentem.

XXXI. Ad ultimum tandem dev… …*ertum,*
qvod hoc eſt: *nullibi in totâ antiqvitate l…* …*riſtiam*
vel in memoriam, vel in commemorationem …*nqvam*
celebratam fuiſſe, nec id ex ullo antiqvorum …*el facto*
legitimè colligi poſſe. Id ampliſſimè patet …diſpu-
tatione. Si enim in primâ omnium, facta …ſto, ſi-
ve ejus exemplo ab Apoſtolis, ſive deniq …primo-
rum ſeculorum ſacerdotibus, S. Euchar …atione,
ne nominati qvidem ſunt ſancti & qvando …ve inſe-
qventibus ſeculis recitari eorum nomina …um ſo-
lennia ceperunt, iis ex cauſis nominatio i… …ſt, qvæ

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910485/phys_0063
DFG